THEODORI BIBLIANDRI DE OPTIMO GENERE GRAMmaticorum Hebraicorum, COMMENTARIVS.

Cum Priuilegio Regio ad Sexennium.

BASILEAE
M. D. XLII.

THEODORVS BIBLIAN. DER STVDIOSIS LINGVAE Hebraicæ, S. D.

NON me fugit, doctiſſimi uiri & amici colendi, in libro Salomonis, rerum diuinarum & humanarum ſcientiſſimi, cui titulum fecit Eccleſiaſtes, legi: Faciendi libros nullum finem, & frequentem meditationem, carnis afflictionem eſſe. Quæ ſententia etſi pręcipuè loquitur de ſuprema ſapientia, qua deus cognoſcitur, ſummumq; bonum hominis, & certiſſima uia pertingendi eò: tamen ad uniuerſos libros in genere ſe extendit, ac modum præſcribit ſtudioſis, ne impendant nimium temporis & laboris in ſcientias incertas, friuolas, inutiles, ſuperuacaneas, ut non addam noxias, præteritis & neglectis interim rebus apprimè utilibus & neceſſarijs. Præſertim quum breuiſſimi temporis ſpacium concedatur in terris percurrere tanquã peregrinis, idq; ad meditationem æternæ & beatiſſimæ uitæ, quam degamus in cœleſti patria cum Chriſto ſeruatore & omnibus ſanctis. Vbi demũ uacuis ab omni moleſtia & errore licebit omnẽ ueritatem penitius inſpicere, cauſasq; rerũ cognoſcere, deum ipſum contemplari, qualis quantusq; exiſtit. Animus enim noſter conclũſus in corpore uelut in obſcura domo, & anguſtis luminibus recipiente ſolares radios, noticias ueras tantum per tranſennam cõtuetur, utq; Paulus ait, per ſpeculum & in ænigmate. ut curioſis ſtudijs minimũ dari poſſit, utilium rerum cognitioni aliquid, ſtudio pietatis & uirtutis plurimum. Eſtq; modus tenendus in ſcribendo & legendo, ut in omnibus rebus. Etenim quis neget poſt ſcripturæ canonicæ authores, qui uno ſpiritu ſapientiam utilem aut neceſſariam uitæ piè atq; beatè inſtituendæ tradiderunt, multa eſſe præclarè ſcripta ab Origine, Athanaſio, Euſebio, Chryſoſtomo, Ireneo, Auguſtino, Hieronymo,

Tertulliano, Lactantio, Cypriano, & alijs plurimis, qui partim illustrarunt cōmētarijs diuinos scriptores, partim quęstiones intricatas, pia & ingeniosa tractatione explicuerūt, partim religionem aduersum calumniatores, & hęreticos, & tyrannos defenderunt? Quorum libros magno cum fructu legunt studiosi. At simul confitendū est, insulsarū commentationum in sacros libros, atq; centonum fartores, rectius facturos fuisse, si non inscitiam suam scribendo alijs prodidissent. E quorum lectione plus dispendij quā compendij sentiet, quemcumq; non pigebit facere periculum. In iure ciuili Budæus, Alciatus, Zasius, & alij multi homines eruditi bonam operam nauarunt: Quis illud neget? Accursij autem & Bartoli, & Baldi, cæteriq; farinæ eiusdem enucleatores legū, plus barbariei, & molestiæ, & petulantię ad rixandum protulerunt, quàm lucis intulerunt scientiæ iuris & æquitatis. Post Galenum & Hippocratem qui medendi artem absoluisse uidentur bonis medicis, aliqui tamen ueteres & recentiores ingenio atq; diligentia sua non parum addiderunt, quod iuuet studiosos. Neq; rursum desunt inepti medicæ artis uenditatores, qui lectori cordato citius fidem faciunt, quod non sani ad scribendum accesserint, quàm ut persuadeant consuli eorum rationibus ualetudini bonæ hominum. Aristoteles, Hermogenes, Cicero, Fabius poterant uideri absolutè artē rhetoricam tradidisse, non tamen posterorum diligentia superuacanea uidetur, qui adiecerunt inuentis, aut ab alijs inuenta planius tradiderunt suis hominibus. Est tamen uulgus rhetorculorum & blateronum, quod merito exploditur. Idemq; accidit ordini grammaticorum honestissimo in omnibus linguis, ut pars recentiorū, Apollonij, Eustathij, Vlpiani, Varronis, Donati, Asconij, & aliorū ueterum insistens uestigijs rectissimè se gerat in præceptionibus emendatè loquendi & authorum enarratione. Pars autem literatorum sic ineptiat, sic tumultuetur, ut putes in perniciem omnium bonarum artium conspirasse. Adeo nihil dimittunt malè feriati

homi-

homines, quod sua indocta & temeraria scientia non contaminent. Interim cessant non pauci homines undecunque eruditi, qui rem literariā possent iuuare plurimū, nisi præferrent otium negotio: ut equidem noui aliquot uiros oppidò quàm peritos Hebraïcæ literaturæ, qui quum in docendo singularem fidem & eruditionem præstent, nihil tamen edunt in publicū, quibus de causis, non possum liquidè scire. Tamen iudicium & institutum eorū admonet modestię, & deterret à festinatis editionibus, quasiq; Callipedem reddit, ut plus propè temporis in apparando negotio sumam, quàm in conficiendo aliqui. Proinde quum hortantibus amicis animum ad Hebraicæ literaturæ explicationē appulissem, non potui tamen sententia confirmata amplecti rationem eam, quam post lucrubrationes nostrorum hominum pariter & Iudęorum utilissimam censeo, nisi prius uiderem iudicijs piorum & eruditorum approbari. Neq; semel cum D. Chunrado Pellicano, & Volf. Capitone, atq; Simone Grynęo felicis memoriæ coram, & per scripta ea de re deliberaui, ut cum optimis & eruditiss. uiris, adhęc meis colendiss. pręceptoribus & amicis. Quorum authoritate confirmatus in meo instituto, superiori anno Cōmentarium hunc edidissem, nisi typographū alia negotia auocassent, & quidē inscriptum eorū clarissimis nominibus: simul ut sub idoneo patrocinio libellus tutior exiret in manus hominū, & gratior studiosis: simul ut uiris præclare meritis de me animū gratum testarer apud sanctæ linguæ cultores. Memoria nāq; repetens curriculū studiorum meorū, perspicio uiros illos primarios mihi ad capessendū alacrius eruditionem Hebraicā, adiutores atq; authores ad scribendum extitisse. Quum enim consilio fratris chariss. Henrichi Bibliandri Græcas pariter & Hebræas literas admodū adolescens Tiguri discerē à Iacobo Ceporino felicis memoriæ, dono etiā fratris, Institutiones Hebraicas Volf. Capitonis adeptus sum. E' quibus per Domini gratiam breui tempore assecutus sum Etymologiæ

mediocrem noticiam, ut iam diui Reuchlini Lexicon ad breuiorem formam,& ordinem meo ingenio aptum redigerem,& conferrem proprio quod dicunt marte, Hebraica & Latina inter se aliquo cum fructu. Postea familiaritas cum doctissimo uiro contigit,& literarium commercium. Caeterum ut adolescens Basileam ueni studiorum gratia,& Ioannem Oecolampadium & Chunradum Pellicanum audiui enarrantes oracula diuina, idq; ex Hebraeorum fontibus. Quo tempore impensius amare & admirari coepi literas Israelitarum, quum praeceptores optimi sedulo iuuentutẽ hortarentur ad synceriorem theologiam, & Christianam philosophiam, cui me pij parentes unicè destinauerãt, crebroq; indicarent linguam sanctam eius doctrinae salutiferę instrumentum esse praecellens. Quumq; Pellicanus grammaticas pręceptiones doceret simul opem operamq́; suam pollicens in hoc genere literarum, & perhumaniter inuitans, eam occasionem haud pretermittere uolui. Nam percurrens lectione libros diuinos Hebraeorum, ubicunq; in inciderem in nodum inexplicabilem, chartis notatum ad Pellicanum detuli. Qui opem uerbis oblatam non minus liberaliter & candide praestans, oblatas quaestiones soluit, uel ut industriae meae aliquid relinqueret, authores & uiam inquirendi monstrauit, ut scrupulus iniectus posset expediri. Adhaec libros mihi utendos dedit Hebraicos partim ab amicis acceptos, aut manu & labore proprio descriptos, partim ingenio suo factos: ut nihil omnino celauerit me, quod posset meliorem & eruditiorẽ facere. Vnde uiri huius beneficia immortalia facilius cogitatione subire possum, quam stylo & uerbis exprimere. Porro quum uenissem in noticiam doctiss. & multis nominibus summi uiri Simonis Grynaei, aliquoties mecum perhumaniter egit de absolutiore quadam explicatione linguae sanctae: & inprimis ut loquendi formulae quę duarum aut plurium uocum nexu oriuntur, planius Latinae linguae peritis traderentur. Ea propter qualecunq; aut quantũcunq; officium

est in

est in dedicatione librorũ, id optimo iure præstandũ erat summis istis amicis & præceptoribus nuncupatione commentarioli, quo rationem totã de literis & scriptoribus Hebraicis proponere decreui, ut extimari possit à studiosis. Et quicunq; fructus ex ingenio & diligentia mea prouenire potest, in solidum erat ijs transcribendus, quorum beneficio & opera tum animũ ad scribendũ, tum facultates accepi. Verum quũ inuida imò tristissima fata, cæterum sancta & æqua, uiros ingenio magno & doctrina omnifaria, & eloquentia non uulgari præditos, ad hæc pietate & uirtutũ splendore præcellentes sustulerit, iudicaret forsan quispiam ineptum esse, uni Pellicano, quem diuina benignitas diu superstitem & incolumem seruet, nuncupari, quod tribus erat destinatum hominibus charissimis. Quorũ duos uita defunctos, ut gemitu & suspirijs requirimus, quippe quorum uirtus, & cognitio plurimarum rerum ecclesiæ afflictę prodessent: ita nõ inuidemus, sed congratulamur, quod temporum nostrorum tempestatibus atq; procellis placidè subducti, portum salutis & æternæ felicitatis attigerunt.

Nunc uos literaturæ Hebraicæ studiosos per cõmunia studia, per deũ huius sanctæ linguæ authorẽ & præsidem oro, obsecro, obtestor, ut si cui uacat hunc legere commentarium, eundem non pigeat cum iudicio legere, & acri animaduersione inquirere, quid bene aut secus habeat. Idq; notatum percupio mihi obijci uel per epistolã priuatam, uel si magis placet publicatis scriptis, siue perstricto meo nomine siue dissimulato. Tantum ut copia mihi fiat errores cognoscendi & emendandi uel defendendi ea, quæ possunt debentq; rationibus defendi. Mihi enim propositũ est in charismate sancto linguæ Hebraicæ non genuinũ exercere, aut prauis affectibus indulgere, sed studiosos ꝓ mea uirili portione iuuare. Id quod propediem testabor re ipsa prolixè, si meum institutũ sensero nõ improbari uiris bonis & eruditis, & si dominus deus in cuius manu est spiritus noster, uitam cæterasq; facultates non negauerit. Valete. Tiguro, tertio Idus Martias, M. D. XLII.

DE OPTIMO GENERE EXPLICANDI LINGVAM Hebraicam, erudita

Theodori Bibliandri

DVO eſſe uideo præcipua hominum inuēta, uel potius dei munera, quæ propter abutentium culpam reliquerũt ambiguam apud pleroſq; exiſtimationem, plus ne boni an mali reipublicę attulerint, bene dicendi facultatem, & artem typographicā. Et in altero quidem nihil eſt ex me periculi, quem neq; natura, neq; ars, & exercitatio fecerũt eloquentem. In altero autem eſt diligentius prouidendũ hoc tempore, quo ſcribimus indocti doctiq; poëmata paſſim: Et prodeunt in lucem libelli opera chalcographiæ, quæ meliorũ literarum propagationi data eſt, quibus multo felicius careret res literaria. Quumq; artificium latiſsimè ſpargendi libros qualeſcunq; nullis poſſit legibus tam æquis circumſcribi, unde praui homines aliquando non plus mali ſtruerent, quàm eſt ex ipſis maleferiatorũ hominum ſcriptis, dabunt operam uirtutum & honeſtarum artium cultores, ut appareat ex argumētis ipſis, & ſtili moderatione, eos ſcribere uoluiſſe, quod non tam ſibi, quàm reip. bono eſſet. Quũ igitur ante annos quinq; promiſerim cōmen-

tarios Hebraicæ linguæ, ſi fautores & adiutores inueniã, et ſi nemo doctior me anteuertat, eosq; cõmentarios amici poſtulẽt, ceu pura ſtipulatione me obligauerim, & nõ ſub æquiſſimis conditionibus, ſtudeo & amicis flagitantibus hac commentatione ſatisfacere, & uelut exhibito ſpecimine operis, aliorum etiam iudicia cognoſcere. Simplici enim ſermone exponam, qualem explicationẽ tum linguæ Hebraicæ, tum authentici codicis mediter, quæq; ſint meæ cogitationes, & labores, & conatus ea in re. Sicq; totius negotij rationẽ ſummatim oſtẽdam, ut qui hæc probat, non improbaturus ſit abſolutũ opus per ſuas partes. Cuius uero palatum reſpuit propinatũ guſtum, totam compoſitionem ſine faſtidio & nauſea quomodo acciperet? Itaq; cognitis hominum iudicijs & ſtudijs, licebit rectius conſtituere, idq; in tempore, dum mihi & typographo res integra eſt, edam ne aliquid in publicũ, an ſcriptos & non ſcriptos cõmentarios domi contineam, & abſolutiora daturis non obſtrepam.

QVOD DIGNISSIMVM SIT homine Chriſtiano ſtudium linguæ Hebraicæ.

Et linguæ quidem ſanctę operam atq; tempus rectiſſimę impendere illos, qui ueræ ſapien-

ſapientiæ ſtudioſi, & Chriſtianæ fidei cultores ſunt, nequaquàm indiget longa diſputatione. Quandoquidem certũ & confeſsum eſt apud omnes rerum diuinarum peritos, huic ſanctiſſimæ linguæ oracula dei peculiariter eſſe cõcredita: cuius uerbis & literis leges principales diuinæ mentis diuino digito in lapideis tabulis exaratę ſunt. Eadẽ lingua uniuerſæ theologiæ fons Moſes cœleſtis ſapientiæ pocula ſalutifera propinauit: Cæteriq́ uates ſibi diuinitus inſpiratam ſapientiam, & hiſtoriam à condito mũdo proximè ad ſeruatoris tempora memoriæ prodiderũt. Quæ originẽ rerum, & propagationem generis humani, & uitam moresq́ tàm bonorũ quàm malorũ, cum utrorumq́ exitu ueriſſima narratione commemorat. A quibus ſcriptoribus Hebraicis, quicquid ſyncerę ſolidæq́ philoſophiæ apud Gręcos & Romanos, aliasq́ gentes ullo tẽpore extitit, ceu è fontibus deriuatum eſt. Sed multum refert è fonte bibas aquã, an è riuulis aut lacunis. Et liquor ſæpius transfuſus perdit natiuum ſaporem ac uim. Eſtq́ illud cõmune omnibus ſermonibus, ut quædam uelut propria non ſequãtur interpretem quantumuis eruditum & felicem in alium ſermonem. Noui etiam teſtamenti ſcriptores diuini ſic Græcè locuti ſunt, ut ſermonẽ tamen Hebraicum in multis locis referant, & ipſius idioma in aliena lingua integrum relinquant.

Quod igitur ſtudium literarum homini Chri-
ſtum profeſſo magis conueniat, quam linguæ
Iſraëliticæ, quæ à ſanctiſſimis hominibus pa-
triarchis, prophetis, apoſtolis frequentata eſt,
res ſacras & ſanctas tradit, hominibusq́ ſan-
ctis, & uitæ quæ domino deo placeat, inſtituen
dæ aptata eſt? Laudatur Romanorum ſapien-
tia & religio, qui nobiliũ ciuium filios Hetru-
ſca lingua erudiri uoluerunt. Et quem ueræ ſa-
pientię & ueri dei religionis ſtudioſum pudeat
aut pigeat? quis ſanæ mẽtis prohibebit? quis
uituperabit eam linguã perdiſcere, quæ ſummi
boni naturã optimè per diuinos homines ex-
plicat, uiasq́ oſtẽdit ad illud perueniendi eaq́
fugiendi, quæ contraria & infeſta ſunt? quæ ui
tam rectiſſimis præceptis inſtituit, & legitimũ
cultum ſupremi numinis indicat? Hoc ueluti
ſcrinio, ut Tertulliani uerbis utar, theſaurus o-
mnis Iudaici ſacramẽti, & proinde noſtri con
tinetur. Hic myſteria regni dei pandũtur. Tan
to bono commoti Origenes & Hieronymus,
alijq́ Chriſtanæ fidei proceres, linguã Hebrai
cam inter maximas occupationes didicerunt,
& qui ea doctrina deſtituti fuerũt, ut Aurelius
Auguſtinus, tum ſuam in hac parte infelicitatẽ
queſti ſunt, tum alijs authores minimè cõtem-
nendi fuerũt, ut diſcere uellent, quibuscũq́ oc-
caſio illa & facultas nõ denegaret. Poſt quos pa
riter ſanctiſſimos & doctiſſ. eccleſiæ doctores,
Vien-

Viennensis synodus rectissimè decreuit, ut in scholis celebrioribus honesto salario foueãtur, qui Hebraicã, & Arabicã, & Chaldęam linguã doceãt, non obscurè testata, & cognoscendę & explicandæ religionis organũ esse prestantissimum earum literarũ inter se affinium cognitionem. Iam linguã Hebraicã omnium esse uetustissimã, quam eandẽ Philo Chaldæã appellat, magni authores tradiderunt, eorũq; sententiæ nõ leuibus coniecturis adiuuantur. Quæ ante Babylonicę turris extructionẽ communis fuit omnium hominum, et in confusione linguarũ integra diuino consilio remansit, ac in singulis dialectis uestigia multa & manifesta, quæ indicant sermonem Hebræum, quẽ domus Eber, unde Israëlitę descendunt, ut familiarem atq; domesticum adeptus est, parentem esse omniũ linguarũ. Et de linguis quidem orientis & austri, Sydonia, Arabica, Aegyptia, Indorum, Persarum, Medorum, Parthorum, Assyriorũ, periti homines testantur, & assertionis suæ argumenta proferunt, quòd maximam habeant cum Hebræa cognationem, ac ueluti ex ea matrice, ut Hieronymus appellat, prognatæ sint. Gręca etiam lingua suam originẽ refert ad Hebraicam, & literarum nominibus atq; formis, si quis more Hebræo inuertat, & dictionibus infinitis, et loquẽdi formulis nõ paucis. E Gręco autem Latinus defluxit sermo non longius

degenerans, quàm ut orientalem parentem peritus agnoſcat. Quodq; incredibile dictu multis uidebitur, lingua Theutonum, uel ut rectius loquar, Gothorũ, quæ gens per ſeptentrionẽ & occaſum latiſſime peruagata eſt, adeò eſt propinqua, ut Latina Græcę non ſit propinquior. Quemadmodũ ergo de Latina lingua rectè iudicat, qui Grecæ quoq; peritus eſt, cuius illa diſcipula eſt: Ita magnã cognitionẽ & iudiciũ in aliȷs linguis adeptum eſſe res ipſa docet, qui nouit aliorum omnium & parentem & magiſtrũ ſermonem Hebraicum. Id quantũ habeat momẽti in ſcriptoribus quibuslibet, philoſophis, medicis, mathematicis, hiſtoricis, facile quiuis apud animũ ſuum cogitabit. Sed quando nata eſt lingua hæc uetuſtiſſima inter homines? An ut Victruuius & imperiti hiſtoriæ ſacrę gẽtiles nugantur, poſtquã diu ſine uerbis ullis homines ferino ritu uixerunt, & poſtea diu nutibus animũ prodiderunt, fingere uoces Hebraicas, & de ſermone paciſci commẽti ſunt? Quis hominum tradidit genti Iudaicæ hanc linguam? Nũ Ianus bifrons, aut Phœnix, aut Hermes, aut Cecrops? Minime gentium. Sed opifex rerum, qui bonitate ſua immenſa permotus hominem formauit ad imaginem atq; ſimilitudinẽ ipſius, & diuino rationis munere donauit, rationi quoq; explicandę aptũ ſermonem contulit. Quo ſtatim deo atq; homini familiaritas

& cõmerciũ intercessit, omniumq; rerum uis, proprietas, tota deniq; natura uerborum notatione consignata est. Ac dominus, & opifex, & cõseruator omnium dictus est אלהים, & ens supremũ atq; naturale יהוה. Vnde cęteris obueniret suũ חיות esse: homo aũt fiduciario dominio terrae impositus אדם ab אדמה, id est, humo, ut nomine ipso terrestris conditionis admonitus perpetuo uellet humiliter sentire, ac parenti deo esse obnoxius. Ipsa uero humus cum אדום rubro & דם sanguine uocis habet cõmunionem, qualis fuit color terrę, ex qua formatũ fictumq; est primũ corpus humanũ, solidiorq; pars orbis ad habitandũ animantibus concessi יבשה siccae & aridę nõmẽ accepit, & ארץ, quod pedibus inambulantium atteratur ueluti pauimentum: aquae מים, ut lentitudine consonãtis iteratae tractus liquidi & manantis elementi euidenter cerneretur. & אש ignis, qui fermè sonus est rapidissimi elementi, quũ adeptũ est humidiorem materiã: Ex aquae uero & ignis natura cõpositus aër שמים, cœliq; cœlorũ suprema et subtilissima pars mundi. Ad eundẽ modum aptissimis symbolis omnium natura insignita est: ut dubitare non liceat, quin sermo Hebraicus à conditore sapientissimo atq; benignissimo generi humano attributus, rationi maxime conueniat, & per naturae atq; ueritatis uestigia ingrediatur. Quem qui altius rimabitur, & de-

usu

usu omni orationis, & præstantia mentis atq; rationis, & de rerũ naturis non paulo exactius iudicare poterit. Cæterũ labefactata memoria, & alijs uiribus animi propter inobedientiã primorum hominũ, non facile dixerim an Adam ipse, an alius figuras literarũ excogitauerit. Hoc certum est primam & ante Babylonicæ turris molitionem cõmunem linguã literis cõprehensam esse: quum Enoch septima generatione ab Adamo natus legatur scripsisse aliqd. De proprijs autem nominibus quid dicam, in quibus altissima sæpe latent mysteria, quæ perspici nequeũt nisi Hebraicis Etymologijs plane cognitis? Postremo qui oculo mentis intuetur titulum crucis, in quo æternæ salutis, omniumq; sacramentorũ fontes aperti sunt, nónne animaduertit ab ipso Christo seruatore cõmendari nobis & consecrari linguam Hebraicam? Non enim arbitrio humano, sed diuina dispẽsatione factum est, ut titulus Hebraicè & Græcè & Latinè scriptus, Iesum Nazarenũ prædicaret esse regem Iudæorum. Caiphas quia pontifex fuit, non de seipso locutus est, uerũ impulsu diuino, melius fore, ut unus moriatur, quàm ut totus populus intereat: Et primarius iudex Pilatus temerè affixit causam supra caput domini tribus linguis exaratam? Latrones cum domino crucifixi, & spongia aceto referta, & sortes missæ super tunicam inconsutilem, & reliqua uestimenta

menta diuiſa, maximarũ rerum ſignificationẽ præferunt. Et inſcriptio crucis ſalutiferæ uacua eſſet myſterio? Quid autẽ prætulit? quid portendit? Nõ aliud certè, quàm pontificẽ noſtrũ Ieſum, ſuo ſanguine dedicare ſibi & eccleſiæ, cũ qua omnia habet cõmunia, uſum principũ linguarũ, quibus per uniuerſum orbem prædicetur gratia æterni ſacerdotij, & pomeria regni dei longè lateq; ꝓmoueãtur. Gratias agit Paulus deo, quòd linguis loquatur, utiq; & Hebraica Hebræus ex Hebræis natus, & donum linguarum, ut cœleſte ac æmulandum celebrat, ac ad ædificationẽ eccleſiæ pertinere docet. Aedificat autem, cum reddit homines ſapiẽtiores & ſubinde magis religioſos, & ad omne opus bonum idoneos. Si qd enim de ſpiritualibus dotibus iudico, is erit legitimus uſus & finis linguæ patriarcharũ atq; prophetarũ, ſi diuinę mentis pronũciata inueſtigauerimus è familiari ac domeſtico idiomate, ſicq; ſententias cœleſtis flaminis per literam probè intellectam hauſerimus, & eodem inſpirante mentem ſanctiorẽ intimo pectore cõditam, uita religioſa expreſſerimus, & diſcere cupiẽtibus purè, perſpicuè, ac prudenter expoſuerimus. Ita enim proculdubio fiet, ut deum per ipſius uerbũ immutabile cognoſcentes uerè, qualis eſt, quàm bonus, quàm uerax, iuſtus, ſapiens, quàm potens, pollensq; omniũ gubernator & conditor, eum obſtupeſcẽtes ue-

neremur, & tota mẽte, omniq; uirili diligamus. In eo solo fiduciã ac spem collocemus, ad ipsius nutum & præscripta uniuersæ uitæ iter dirigamus. Hæc hæc utilia sunt fratres, hæc salutaria, hæc perpetuo meditanda nobis, dum in tabernaculo corporis agimus, et peregrinamur à domino, & gestamus thesauros cœlestes in uasculis testaceis. Hæc studia non inanium uerborũ, sed diuinarũ notionũ homines in Christo absoluunt & perficiunt subinde sapientiores atq; meliores refingendo ad exemplum filij dei, ut ore diuino prodita firmo assensu teneãt, ac cœlestis parẽtis uirtutes infinitas, & opera immensa, & beneficia sempiterna magnificè prædicẽt, prauæ libidini moderentur, iustitiam & beneuolentiam colant in uniuersa hominũ consuetudine. Hoc iter est rectissimũ ad perfruitionẽ summi boni, ad quod lucernã præfert scriptura sancta Hebræorũ monimentis cõprehensa, & felices atq; beatos efficit in terra, quantũ fert præsens conditio, dum ambulamus per spem, & diuinitatis opes in speculo & ænigmate contemplamur, uerè autem beatos in cœlestibus, quando prophetiæ & linguæ cessabunt, & dominũ spectabimus reuelata facie, qualis quantusq; est, & æterna possessione omnium bonorum fruemur cum Christo, qui est benedictus in sæcula. Verum quia non est propositum in præsentia linguã Hebraicam defendere, quam

boni & sapientes omnes uenerãtur, neq; encomijs euehere, quæ omnem laudem superat, sed meam sententiã de studio ipsius simpliciter aperire, hunc locum iam concludam. Statuoq; in artium liberalium, & literarũ bonarũ tractatione, nihil esse utilius, nihil honestius, nihil professioni fidei catholicæ cõuenientius, quàm toto pectore in eam linguam excolendam incumbere, quæ omniũ est antiquissima, omnium parens & genitrix, ab opifice deo generi humano tradita, & à sanctissimis hominibus frequentata, & pulcherrimis testimonijs dei optimi maximi, necnon excellentiũ uirorum decorata est: Cuius usus latissimè patet in omnibus ecclesiæ negotijs, siue mẽs dei ex ipsius oraculis scriptis inquirenda & meditanda est, siue boni summi natura, & adipiscendi uia monstranda est, siue tradenda pietas, mores formandi, uita hominũ recte cõponenda, siue bellum gerendũ est cum religionis hostibus. Quòd si magnam gratiam & laudem à bonis inuenerunt, qui linguæ alicuius uoces reconditas in lucem produxerunt, usuiq; iusto tradiderunt: qui artem uitæ utilem inuenerunt, uel auxerunt, ut numerandi, ut colendi agros & uineas: qui aduersum morbos corporis inuenerunt remedia: qui ciuitatibus consilio & armis opem tulerunt: quantam gratiam illi merebuntur, qui otium & negotiũ in ea lingua explicanda collocãt, quæ notitiæ dei

 parentis

parentis & moderatoris omnium, & religioni inseruit, sine qua quicquid est reliquum, adeò non cōducit, ut etiam summopere incōmodet. Quamq; uero notitia linguarum ad dona cœlestis munificentiæ pertinet, apostoliq; sine doctrina & studio linguas didicerunt afflatu spiritussancti, & theologi Hebr. linguā suæ professionis organum proprium agnoscūt, decernuntq; prouocationem ad libros Hebraicos, quoties de scripto nascitur cōtrouersia, non tamen repugnat, sed maximè congruit institutis ecclesiasticis, ut Hebraicus sermo artificiosa & certa ratione tum discendi tum docendi comprehendatur, quod grammaticorū proprium est. De quorum doctrina amplissima dicetur alio in loco uberius.

QVOD HEBRAICA LINGVA nondum sit ad plenū explicata per Grammaticos tàm Iudæos quàm Christianos.

QVI libros enumerauerit illorum, qui uel ὁριστικὴν & κανονικὴν partem grāmatices tradiderūt, uel in dictionarijs etymologias exposuerūt, uel cōmentarijs ordine interpretati sunt scriptores diuinos Hebræorū, non dubitabit, quin absolutè sit ea lingua explanata, si ulla alia, & qui post tot celebres scriptores aliquid moliatur scribere, eum actum agere uelle. In qua sententia

tentia totus fui ante annos duodecim. Verum
consilio & opera honestissimorũ hominũ, or=
dine, ut spero, ecclesiastico, interpretãdis autho
ribus diuinis admotus, longè diuersum indies
magis magisq́ sentire coactus sum. Quũ enim
sentirẽ uires meas longè impares functioni san
ctissimæ, sollicitudo ingens mihi circũdata est,
uel potius necessitas iniuncta, comparãdi præ=
sidia undequaq;, ne prorsus essem iuxta Græ=
corũ adagium, asinus portans mysteria. Itaq;
studiosè cõparaui interpretes Hebræos, Græ=
cos, Latinos, Germanicos, ut eorũ ductu atq;
indicio scripti cuiusq;, & ut Greci uocant, ῥητοῦ
sententiam genuinã liquidò perspicerẽ, deoq́
interius docente ad arcana diuinæ mentis pe=
nitus admissus, ueras notitias alijs quoq; exhi=
berem. Eos uero interpretes dum euoluo non
indiligenter, & cum iudicio pro mediocritate
mea excutio, euentilo, confero, in chartas eorũ
dicta plurima illino, qui antea mihi sciolus He=
braicæ literaturæ uidebar, repente factus sum
tyro. & qui absolutam esse rebar explicationem
principis idiomatis, affectam non perfectã esse
statui, magnumq́ campũ relictum uiris bonis,
qui uellent hic ingeniũ suum intendere. Primũ
enim aliquoties spectaui magno cum stupore
dissensionẽ inter Hebræos, Græcos, Latinos,
quanta uix fuit in confusione linguarũ Baby=
lonica. Quod uno & altero exemplo indicasse

 in præ=

in præſentia ſat fuerit. Iob cap. 38. uerſu 36. ſcriptum eſt מִי נָתַן לַשֶּׂכְוִי בִינָה quod Hieronymus tranſtulit: Quis dedit gallo intelligẽtiam? & Græcus interpres ποικιλτικὴν ἐπιστήμην. Rabi Ioſeph interpretatur in ſuo Thargum Syriaco לִבָּא cor. Quod ſequitur Abraham ben Ezra, & Abraham Periſol, & Moſes ben Naaman. Alia uero Chaldaica translatio, quæ Thargum Hieroſolymitanũ dicitur, uertit in תרנגולתא gallum, aut potius gallinam. Dauid Kimhi & eum ſecutus Iſaac Nathan, & cor & gallum interpretantur, inter pugnantes ſententias dubij, ut exiſtimo. Et citatur à Kimhio Rabi Symeon ben Lakis, qui aſſerit gallum uocari שכוי. Dubites an Iudęi à noſtro Hieronymo gallum acceperint, an contrà ille à Iudæis. Leui ben Gerſon philoſophiæ peripateticæ non ignarus interpretatur חשבל היולאני intellectum materialem, ſignificans, niſi fallor uim animæ, quæ imaginem ac formas rerum cõprehendit. Non minor eſt etiã diſſonantia in uoce חשמל Ezechiel. 1. & 8. cap. in qua utriuſq; naturæ in Chriſto arcanũ mirificè proponit. Si uarias opiniones ſine teſtimonio locupleti, ſine ratione probabili ſpargere, eſt linguã explanare, fatebor & ego per iſtos magnos authores Hebraicam linguam explicatã eſſe. Mihi quidem in illo diſſidio in mentẽ uenit, quod ille ait in Comœdia: Multo magis incertũ iſti me reddiderũt, quàm dudum

dudum fueram. Nec modo religione & sermonis cõmercio seiuncti mutuum dissident Iudæi cum Græcis & Latinis, sed inter consortes linguæ, & eiusdem philosophiæ sectatores, & arctissime coniunctos tot interdũ sententiæ, quot capita existunt. Pugnãt enim Syri & Iudęi mutuũ, & Kimhij fratres atq; pater non congruũt. Quot apud Græcos interpretes fuerũt Hebraicorum uoluminũ, quibus doctrina religionis continetur? septuaginta illi, quos creditũ est afflatu cœlesti libros diuinos trãstulisse, & Aquila Ponticus, cuius duæ fuerunt æditiones, & Symmachus, & Theodotion, & Quinta editio incerti authoris, Sexta denique etiam ἀνώνυμος, qua se usum in duodecim ꝓphetis testatur Hieronymus. At quoties inter se pugnãt in illis reliquijs, quæ supersunt? Quoties notãtur uel uniuersi uel nõnulli, iam inscitiæ, iam negligentiæ, iam fraudis atq; perfidię? Alicubi tamen Hieronymus uoluntatẽ & eruditionẽ eorum tuetur, & causam interpretationis malæ in librariorũ incuriam, aut Hebraicæ linguæ genium transfert. Vt Esa. 40. cap. Multa, inquit, sunt nomina, quæ legũtur in Græco, ut in Hebræo posita sunt propter interpretandi difficultatem, & ad comparationem linguæ Hebraicæ tam Græci quàm Latini sermonis pauperiem. Quid quòd singuli authores maximi nominis alicubi à seipsis discrepant, & quod uno in loco adstruxerunt,

runt, in alio destruũt? Quid quòd in erroribus deprehenduntur manifestis? utq; nihil dicam de Iosepho & Iudæis alijs, nihil de Græcis, ipse Hieronymus antistes Hebraicæ doctrinæ, q̃ multa inepte atq; incogitãter scribit, quę ipsius etiam testimonio redargui possent? ut quum Esa. 1. cap. contendit צֶדֶק non iustitiam sed iustum sonare, & 3. cap. במות non esse præpositionem & pronomen, in quo, sed nomen simplex, quod excelsum, hoc est, Christũ significet. Miraturq; lxx. quòd prętererint tantũ mysterium, & Aquilã accusat, quòd maligne uocem ambiguã in deteriorẽ partem interpretatus sit, ut uideretur cum alijs Iudęis non laudare Christum sed uituperare, & nihili pendere. At quis mediocriter peritus Hebraicæ linguæ ignorat צַדִּיק iustum sonare, צֶדֶק iustitiã, & במות non aptari personis, sed locis, ut dicantur excelsa, fana & aræ, & similia? Quam leui autẽ coniectura sæpe ducũtur, ueluti quum Abraham Aben Ezra in cõmentarijs ad cantica Salomonis scribit, omnem dictionem, quæ semel in scripturis Canonicis ponatur, ex cõsuetudine Arabici sermonis interpretandã esse, quòd magnam habeant inter se affinitatẽ. Quoties occurrit interfatiuncula dubitationis & ignorãtiæ testis, hæc uox ueluti בעים Esa. 11. cap. non habet socium aut fratrem, oportetq; interpretationem capere ex loci præsentis cõuenientia? Quoties cogun-

tur Iudęorũ

tur Iudæorum doctiſſimi, & quidem Rabi Salomon talis ac tantus author ingenuè confiteri ſuam inſcitiam? Neq; deſunt primarij apud Iudæos ſcriptores, qui dicant inſaniæ finitimum eſſe ſperare cognitionem certam in animalibus immundis, in qua tamen obſeruatione mordicus hæret Iudæorum ſuperſtitio. Similiaq; his occurrũt in noſtro Hieronymo, quæ tum hęſitationem, tum ignorantiam teſtantur, ut quum ſcribit, hoc ita didici à Iudæis: Hoc mihi tradidit Lyddas Iudæus, à quo didici: Hoc uerti ad iſtum modum cum Aquila, cum Symmacho, cum Theodotione: Id quid ſignificet, non potui cognoſcere uſq; in hunc diem. Quæ omnia cõmemorare infiniti eſſet operis. Neq; propoſitum eſt nunc ſcribere notas authorũ. Non tamen diſſimulandũ eſt, quid annotauerim in libris eorum, qui ex profeſſo de rebus grammaticis diſſerunt. Vtq; incipiam ab elementis, in literarũ & uocalium punctorũ enunciatione, minor non eſt deprauatio & confuſio, & præceptionũ diſcrepantia, quàm apud Latinos, aut Græcos. In qua re ſaltem illud ſeruaretur, ut ſingulæ literæ, aut apices retinerẽt certum atq; conſtantem ſonum: Quod in Latinis Fabio etiam ſatis eſt. De uocalibus autẽ punctis alia quoq; magni momenti contentio eſt, niſi me fallit animi iudicium, quum aliqui aſſerunt punctorũ uocalium notas iam temporibus Moſis extitiſ-

se,aliq̃ ab Esra, & nescio qua synagoga magna
Iudaico somnio coacta,reperta esse. Suntq́ uiri
spectatioris fidei,qui scribūt Bononiæ in sacra-
rio ædis diui Dominici asseruari biblia mani-
bus Esdræ exarata cum punctis. Alij tantū in-
uentum referunt ad Aharonem filium Aser, &
Iacobum filium Naphthalim. Nōnulli ex no-
stris uidentur sibi notasse in Hieronymi lectio-
ne, ꝙ ipsius æuo non extiterint uocalium no-
tæ. Quidam acerbius dicunt à Iudęis confictas
uocalium & prosodiarū notas ad corrumpen-
dum sacratos codices. De qua re uehemētissimè
Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.
Quorum alteros si audiamus,bona linguæ He
braicæ pars, adeoq́ diuinæ scripturæ arbitrio
nescio quorum pauculorū,concluditur. De nu
mero coniugationū & ordinum in uerbis non
conuenit etiam inter præcipuos authores gram
maticæ. De origine uocum,quam ipsi radicem
uocant,aliquoties pugnatur: Et in compositis
dictionibus, quæ מורכבות dicuntur, mira est
docentiū perplexitas. In dictionibus autem po
lysemis seu æquiuocis meritò requiras maiorē
diligentiam,aut scientiam, aut perspicuitatem.
Vbi admissa confusio magnas tenebras ingerit
ac studiosos perturbat ac deterret,quum neque
caput,ut dicitur,neq́ pedes apparent,dum uera
uox in significata infinita propemodum spar-
gitur, & contrà plurimæ dictiones ad unius rei
notatio-

notationem uelut ſynonimæ congerũtur. Non tropi, non ſchemata iudicãtur, quibus una uox à prima propriaq́ꝫ ſignificatione ob aliquam ſi= militudinem ad alia etiam extenditur: quia uer borũ numerus definitus eſt, rerum autem infi= nitus, ut Peripateticorũ ſchola monuit. In paro nymis etiam non monſtratur cõuenientia, quà ratione עין oculus, & מעין fons, ab una deſcen dant origine. Vocum indeclinabiliũ, quæ dia= lecticis conſignificatiuę nominãtur, uis & pro= prietas leuiter enarrata eſt, è qbus ingentes ſæpe numero pendent cõtrouerſiæ. Qualis fuit mo= noſyllabæ uoculæ iactatio inter Græcos & La= tinos, de proceſſione ſpiritus ſancti: at eadem funeſti ſchiſmatis parens, quum diſputaretur, utrum ſpiritus ſanctus procedat à patre & filio, an à patre per filiũ? De ſtructura ſermonis He= braici quantum eſt ſilentium? Quis prouerbia expediuit? Quis loquendi formulas Hebræis peculiares annotauit, in quibus præcipuæ opes omnium linguarũ poſitę ſunt? quarumq́ꝫ igno rantia omnium linguarum ſynceritatem atque uires labefactat. Quibus etiam in Hebraicis ſcriptoribus tantum tribuit Auguſtinus theo= logorum antiſtes, ut putauerit ſe magnam uti= litatem conferre ſtudioſis diuinæ philoſophiæ, ſi locutiones uel Græcorũ editione annotaret, nulla plerunq́ꝫ etiam interpretatione appoſita. Cuius iudicium hac de re ex libris retractatio=

num referre non alienũ est à proposito. Septem inquit, libros de septem libris diuinarũ scriptu-rarum feci, notatis locutionibus singulorum, quæ minus usitatę sunt linguæ nostræ: quas parum aduertentes sensum quærunt, quæ legunt, diuinorum eloquiorum, cum sit locutionis genus: Et nõnunquam exculpunt aliquid, quod à ueritate quidem non abhorreat, non tamen id sensisse author, à quo scriptum est, inuenitur: Sed genere locutionis hoc dixisse credibilius apparet. Multa autem in scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere, dilucescunt. Propter quod cognoscenda sunt eadem genera locutionum, ubi sententiæ patent, ut etiam ubi latent, cognitio ipsa succurrat, easq́ intentioni legentis aperiat. Hactenus Aurel. Augustinus. Nec nulla pars dogmatum peruersorum adscribenda est ignorationi locutionum & idiomatum. Multæq́ sophistarũ cauillationes in complexarum uocum proprietate uersantur. Hæc igitur & his similia animaduertens candidi lectores, quòd inter maximos authores & peritissimos Hebraicæ linguæ sint multa obscura, multa dubia, multa controuersa, multa ignorata, multa prætermissa, statui planè linguam sanctissimam nondum esse absolutè explicatam, cœpiq́ impensius desiderare cõmentarios Augustini Steuchi, & Volfgangi Capitonis, quos scirem copia bonorũ librorum affluere, & diu

operam.

operam diligentem in hisce literis nauasse, instructos denique multifaria doctrina, & linguis, quarum usus est in Hebraicis tractandis. Valere ingenio & iudicio & eloquentia, quibus posset magna lux infundi obscuris, fides fieri dubijs, contorta explicari, inchoata perfici. Vtque tribui facultates, sic de uoluntate benè speraui, præstituros esse promissos commentarios, nisi magna quædam negotia impedirent, quæ de improuiso incurrunt in uitam hominum: neque tantas opes diuinæ munificentiæ in abdito sepulturos, sed magis ad fœnus spirituale collocaturos. Neque eam spem abijciam, dum uiuo, & uiros illos superstites intelligo. Meos uero commentariolos ante annum quintum pollicendo, magis uolui ciuiliter monere pollicitationis, & alios æmulatione prouocare, quàm serio tantã rem de ingenio meo promittere. Tametsi sponsioni, ut aiunt, noxa præsto fuit.

QVOD POSSIT OBTINGERE CERTA NOTITIA SERMONIS HEBRAICI.

Ex his autem quæ modo cõmemoraui de literaturæ Hebraicæ professoribus, aliqui homines eruditi & ingeniosi cæterum linguæ huius imperitiores argumenta collegerunt aduersus sanctissimũ utilissimumque sermonem, quòd incertus & imperuius sit, frustraque nitantur, qui

eius ſtudio tenentur, quum uix duos reperias
etiam peritiſsimos,qui non diuerſa opinentur.
Eſt igitur nobis iam diligentius conſiderandū,
in hominibus ne culpa hęreat ignoratę,aut per-
peram expoſitæ linguæ Hebræorum, an in re
quadam inſuperabili difficultate. Vt autem li-
quidò cernere poſſimus,an habeat Hebraicum
idioma certi & explorati aliquid, illa uidentur
expendenda, res de quibus tractant ſcriptores
diuini, quibus cognoſcendis lingua deſtinata
eſt, ipſi ſcriptores, & deus qui per organa ſua
locutus eſt,& ingenij humani ſolertia ac uis in
perueſtigatione abſtruſarum rerum, omnis de-
nique generis ſcriptorum ſubſidia, de quibus
ordine breuibus dicam, primumq́ de rebus.
Quæ ut ſapientia rectè à philoſophis definitur
rerum diuinarum atque humanarum ſcientia,
partim ſunt humanę,partim uero diuinę. Sunt
enim noſtri ſcriptores ſapiētiæ magiſtri optimi.
Diuinas intelligo non modo ipſum ens primū,
& eius uoluntatē,atq; pronunciata,& ſubſtan-
tias incorporeas, uerūetiam demiurgi dei ope-
ra,cœlum,terrā,mare,& ſubſtantias corporeas,
quæ in eis ſunt,& tempus è cœli uertigine dedu
ctum,illorumq́; omnium partes, & inhærentia
naturalia,& actiones. Itaq; inter diuina cōme-
moro phyſica etiā corpora,& quantitates eorū,
& qualitates,quæ uel ſenſu exteriori,uel interio-
ri cognoſcūtur. Et in primis hominē excellen-
tiſſimum

tiſſimũ opus diuinæ manus, hominiſq; faculta tes,& uirtutes & uitia. In quibus linguarũ apud omnes populos maior conſtantia eſt: q res illæ naturã & indolem ſuam perpetuo retineant, ac hominũ eruditorũ literis ſtudioſius conſeruen tur. Humanas dico res non omnes, quæ in uſu hominũ uerſantur: ſed ipſorũ inuenta ut inſti-tuta, ut ſunt corpora, quæ uocantur artificioſa, ueluti ędificia, ueſtium & armorũ formę, inſtru mentaq; omnis generis, & compoſitio medica-minũ & alimenti, pondera, menſuræ, nomiſma ta, functiones, & alia quæ in iure ac more & con ſociatione hominũ ſpectantur. Quibus adden-da eſſe uidentur ritus, & cærimonias colendi ua rios deos ſpectãtia. In quibus omnibus, ut ſunt theatrica, & forenſia, & triuialia, maximeq; pen dent ex uulgi arbitrio, cui nihil diu placere po-teſt, magna eſt ipſorũ rerum uiciſſitudo, & ſer-monis triuialis, qui ritu frondium ſubinde mu tatur, ut prioribus cadentibus noua ſuccedant uerba. Quanq; in hac etiam parte ſermo Hebra icus ſibi conſtat, q non modo ſacrorũ admini-ſtratio, uerũ etiam politia uerbo diuino in eo po pulo inſtituta fuit. Et ſcriptores diuini longè ab ſunt à uanitate uulgari, & ſtudio nouãdi ſermo nem patrium. Et ubi uidentur multis ſeculis diſ iuncti habere aliquid peculiare, & à priorũ ſtilo uarians, quod rarius fit, mores populi, & præ-ſens rerũ ſtatus id poſtulauit, ueluti quũ de exte

ris

ris gentibus uerba faciunt, & de rebus, quas su-
perstitio regũ & populi inuexerat. Atq; de illis
etiã rebus, quæ per nationes uariæ sunt, licet ex
pręsentibus coniecturã colligere, quæ in eodem
genere continentur, & similitudinis habent ali-
quã propinquitatẽ, licet forma nonnihil uariet.
Vt enim de indicis formicis, quæ canũ æquare
magnitudinẽ feruntur, iudicat, qui nostrarũ re-
gionũ formicas uidit: Ita ordines atq; functio-
nes Iudaici regni, aut magni regis Persarũ, aut
Assyriorũ intelligere potest, qui præsentis reip.
formam diligẽter inspexit. Ita in uestimentorũ
& ędificiorũ formis, ita in alijs omnibus cogno
scendis analogiæ succurrit obseruatio. Iam est
certa ut rerũ, ita & uerborũ cõnexio, ut alia inter
se congruãt, alia repugnẽt. Ex qua existit iudicij
& enunciatorũ ueritas, quũ id cuiq; tribuitur,
quod naturæ ipsius inest, id uero adimitur, q̊d
minimè inest. Qua quidẽ luce ueritatis nihil est
clarius, nihil solidius, firmius, certius, nihil q̊d
æquè bonas mẽtes capiat: Contrà nihil menda
cio tetrius & infirmius. Etenim si coniurẽt om-
nes grãmatici & philosophi in hanc sentẽtiam,
ꝙ nil intra oleã, nil sit extra in nuce duri, nunq̃
tamen efficiẽt, ut uerum sit, quod instituto & le
gibus dei, quod naturæ ipsi repugnat. Si herba-
rius pro pulegio uenditet herbã natã in India,
uel pro pipere, quod natũ est in Germania, inue
niet forsan aliquando emptorẽ, qui ita recipiat.

Non

Non tamen ſtatim,id eſt,quod aſſeritur, etiã ſi millies peieret fictitię mercis uenditator. Ita qui pro תרא urum aut bubalum, aut aliam feram Germanicarum ſolitudinum in orientem colꝫ locat, ineptire mox deprehenditur, ut pictor del phinum ſyluis appingens, fluctibus aprũ. At qui Thoem interpretatur, uidetur ipſam rem acu tetigiſſe. Porrò ſi quis ſentẽtiã Habacuk iu ſtus in fide ſua uiuet, praue interpretetur, impi us in fide ſua uiuet, aut iuſtus in opibus ſuis uiꝫ uet, aut iuſtus in fide ſua peribit, nónne omnes reclamabunt, & dicent iſtum uiolatorem ſentẽꝫ tiæ propheticę, uel non conſiſtere mente, uel im pijs intemperijs agitari? Lector non imperitus rerũ ſua ſponte ducitur, ut pardalim feram maꝫ culoſæ pellis intelligat, quum Hieremias dicit: Si Æthiops mutat colorem, aut נמר maculas, iſte quoque populus deponet ſuam maliciam. נדיב ex multis ſcripturæ locis cognitũ eſt, quid ſignificet, כילי non perinde notum eſt. At Eſa ias per antitheſin opponens, dubium nõ relin quit ei, qui uolet animaduertere, ac ueritatis luꝫ cem admittere. Sunt enim in Hebræorum ſerꝫ mone aduerſa, ut in Latino munificus & ſordi dus. עני & אביון habere ſignificationẽ proꝫ pinquam, quis dubitet, quũ toties per ſchema interpretationis iungantur? Atq; hæc una uia eſt planiſſima & tutiſſima dijudicandi omnẽ ſermonem, qua rerum natura cum uerbis comꝫ

paratur, & quod uero consentaneum est, probatur. Eiusque rationis tanta est uis, ut cogat nihil temere asserere, nullum errorē ob cuiusque gratiam uel offensam cōfirmare, in nullius magistri uerba iurare, deponere etiam religionem discedendi à magnæ doctrinæ & sanctimoniæ uiris, quum ipsi à uero declinauerint.

Nunc quæ sit mentis intentio in hac disputatione, quæ facultates, qui effectus, operæ preciū est cognoscere. Quum intelligentię obiectum sit, id quod sciri potest, & finis quem desyderat cōtingere, & in quo conquiescit ueritas, siquid occurrit in sermone uel obscurum, uel dubiū, uel ignotum, uel uerum nequeat liquido perspicere, mens uehemētius incitatur, nisi alterius rei cura distrahat, & cōtra obstantia uires colligat, ac molitur omnibus modis scrupulum iniectū excutere. Itaque discurrit per omnia, quæ audiuit, legit, uidit, factoque periculo cognouit. Omnia pertentat, omnia rimatur, omnia confert, computatque, Et rei de qua fit sermo, totam cōprehendit imaginem. Neque contentus est animus, uerbi originem, & confirmationem inspicere, aut duorum aut trium uerborum complexu enatam formulam: Sed scopum totius orationis, in quem scriptor collimauit, notat, & quę sit primorum, mediorū, ultimorum connexio, quę rerū series, quis tractandi modus, quæ uoluntas, ingenium, aut mores scribentis, & eorū

quibus

quibus scribitur, quæ temporis, & loci, & rerũ circumstantię. Atq; ijs perpẽsis & examinatis, de singulis demum sententijs & uerbis delibe rat, quid simplex, aut figuratum, quid propriũ aut translatum, quid plenum, aut defectum, aut redundans, quid deniq; rerum naturæ congru um sit. Itaq; reputatione homo consequitur, modò sit ingenium sanum, uel euidentem ueri tatem, cui certo assensu mens acquiescit, uel opi nionem ueritati proximam, unde uelut gradu præstructo aliquando ulterius promoueat. Nónne uidemus, ut mens nõ planè socors aut stupida hominis falsi mendacia & astus depre hendat procul recedens à trita uerborum signi ficatione? Et licet impostor ueniat dolis suffar cinatus, uultumq; & uocem, & totũ corporis gestum ad deceptionem comparauerit, persan cteq; iuret, nec aliquod prætermittat fraudis in tegumentum, mens tamen subtili animaduersi one rerum naturam & ordinem secuta, inq; cõ trarium sensum uerbis impostoris ipsius acce ptis, id quod res est, deprehendit. Nónne uide mus, quantum ponderis habeat illa scrutatio in controuersijs, quæ ex scripto ambiguo, aut contrarijs scriptis nascuntur, aut cum uerba & scriptoris uoluntas pugnare uidentur? ubi cor datus iudex non sinet religionem suam uerbo rum cortice obstringi, sed altius latentem uerita tem inquirit ex omnibus partibus negotij, &

similium comparatione, & ijs quæ in moribus atq; consuetudine uersantur, ut quod æqui & boni supremæ leges dictant, in sententia ferenda sequatur. Nónne solertia mentis hac indagine animaduertit significatū uocis longissimè translatæ, & sententias per contraria, per antiphrasim, per ironiam figuratas? Nónne amputat redundantia, & defecta explet, ac deformata & corrupta in integrum restituit, nec non adulterina discernit à germanis & proprijs? In qua re duo eximia grammaticorum officia uersantur, emēdatio scriptorū, & κρίσις iudiciū, unde critici nominātur, id est iudices atq; cēsores authorum. Qualem fuisse Aristarchum accepimus, qui Homerum miserè defœdatum, & nothis uersibus interpolatum, & frustulatim sparsum atq; discerptum, acri pensitatione in formā redegit, quam hodie obtinet, ut dici mereatur, fons ingeniorum, & omnis eruditionis Grecę parens. Sic igitur iudico de facultatibus ingenij humani, ut si uelint se intendere ad exactam cognitionem linguæ sanctæ, cuius libros integriores, & paucos ad posteritatem cœlestis prouidentia transmisit, & tempus legitimum sumatur, rectaq; uia insistant homines, existimem nullum fore locum tam obscurum & salebrosum, in quo non eruatur germana & uera intelligentia rerum atq; uerborum, aut certè quàm proxima ueræ, ubique pulchrius sit ambigere,

quàm

quàm nondum ſatis compertis aſſentire. Poſtulat ordo iam, ut dicatur de ſcriptoribus Hebraicis. Quorum libri XXIIII in canone ueteris inſtrumenti ponuntur: ſcriptores autem plures ſunt, & aliqui ſanè ignoti nominis. Non enim Kimhius probat, quod de ſcriptoribus & libris canonicis aſſerit. Eorum ætatem hic ordine temporis ſtrictim referam. Iob primæ philoſophiæ author maximus, circa deſcenſum Iſraelis in Ægyptum fata ſua pertuliſſe & ſcripſiſſe uidetur, anno circiter quingenteſimo à diuiſione linguarum. Quem aliqui tradunt ex idiomate Syro in Hebræum eſſe conuerſum à Moſe. Veriſimilius eſt eandem linguam in familia Eber, ex qua deſcendit Abraham, deinde Iſaac, & Iacob, ſeruatam etiã in domo Eſau, unde Iob natus eſt. Moſen uerò quũ reperiſſet ſcriptum illud diuinum apud ſocerũ Iethro principẽ Madianitarum, ad populares in Ægyptum tranſtuliſſe, ut exemplo recenti & imprimis memorabili diſcerent patienter ferre ſortem præſentem quantumuis duram, cuius uiciſſitudinẽ oracula promiſiſſent. Refert Hieronymus Syro & Arabico ſermone mixtum eſſe. Cuius generis uix XVI uerba potui annotare, ueluti כפן pro רעב, & נהרה pro יום, & ערס pro ברח, & סטל pro רחר, hoc eſt fames, dies, fugit, occidit: quæ Syro & Punico ſeu Arabico ſermone pariter uſurpata ſunt. Moſes theo-

logiæ ueræ uberrimus fons, & oraculo doctus & maiorum libris, qui postea inciderunt, leges diuinas memorat, & historiam continuam texit quinque libris ab origine mundi ad quadragesimum annũ ascensus de Ægypto. Iosue creditur commentarium rerum sub ducatu suo gestarum edidisse. Historiæ Iudicum, & Ruth author non exprimitur nomine. Nec possunt duo priores libri historiæ regũ Samueli adscribi, qui mortem Saulis & res Dauidis, hoc est, alterius libri uniuersa gesta non adiunxit. Dauid uir factus ad ingenium Dei librum Psalmorũ cõposuit maxima ex parte. Nam adiuncti sunt & aliorum quorundam hominum diuinorũ hymni, quorum nomina tituli præferunt. Salomon omnis sapientiæ absolutissimum exemplum Ecclesiasten inscripsit disputationem iustam, qua confutantur fines bonorum atq; fœlicitatis, quos uanitas hominum sibi proponit in uita, parcius indicata ueræ beatitudinis forma: quam in cantico canticorum explicat, ostendens summum bonum & perfectissimam salutem hominis esse, si cum Deo unitus & copulatus fuerit: quod per Christi gratiam fidelibus obtingit. Vt ipsissimum Euangelium diuino carmine demoduletur. Sententias non scriptas sed uario tẽpore dictas à Salomone, ac per studiosos diuinę sapientię in chartas relatas apparet ex ipso scripto. Quibus appendix addi-

tur

tur encomium probæ mulieris ab Ezechia factum, ut apparet, & alterius eruditi atque diuini uiri Agur grauissimæ sententiæ, & uitæ institutionem compendio docentes. Sequuntur peculiariter Prophetæ dicti, quorum sermones distinguere indicatis argumentis, nõ est huius instituti. Abdias contra Idumæos hostes populi Dei acerrimos uaticinatus est tempore Achab regis Israel & Heliæ prophetæ. Ionas non diu post mortem Helisæi regnante Ieroboam filio Ioas in Israel regi populoque Niniues resipiscentiã persuasit. Amos regnante Ozia in Iuda uerbũm domini prædicauit. Eodem regnante, & in Israel Ieroboam, præsidente Osei præconiũ orsus ad tempus Ezechiæ perduxit, minimum septuaginta annis munere persanctè fungens. Paulo post Osee munus diuinũ uaticinandi suscipiens Esaias, ultra XV. annum Ezechiæ gessit, utque ueteres memorant ad regnũ Manassis, à quo crudeliter occisus est. Micheas quoque sub Ozia incipiens præconium sacrũ sub Ezechia cum uita terminauit. Ioel eundem sermonẽ habet, quem & Esaias prima oratione ante bellũ Assyrium, quod Senacherib Iudæis intulit anno Ezechiæ XIIII. Eodem etiam tempore Nahum Niniuitis in pristina scelera relapsis interitum præcinit. Habacuc infœlicissima tẽpora Manasse regnante uidetur miserari. Zophonias autẽ per regem sanctissimum Iosiam

instau-

instaurata religione defectionem cogitantibus atq; perfidiam, Dei ultionem comminatur. Iosiæ uerò decimo tertio anno munus propheticum suscipiens Ieremias, etiã capta urbe per Nabuch. fortiter id gessit, quoad in Ægyptum à reliquijs Iudæorum pertractus lapidibus obrutus, uitam finiuit. Et quinto anno regni Zedeciæ, aut capti Iechoniæ, & uicesimo quinto sermones Ezechielis terminantur, quos tum dixit tum scripsit in Babylonica transmigratione. Daniel quoq; cum Ioachim rege Iudęorum captus, statim in Chaldæa inclaruit tum uitę sanctimonia, tum facultate præsentiendi futurá. Qui noster polyhistor, & diuinorum consiliorum imprimis conscius fata populi Dei usque ad finem sæculi commemorat. Historiam regũ à Dauide usq; ad primum annum Euilmerodach regis Chaldæorum, & euectionem Iechoniæ, quis in Chaldæa perscripserit, non est memoriæ proditum. Eodem tempore, quo regnũ Assyrium tenuit Euilmerodach, gesta uidentur, quę libellus Esther narrat, dubiũ an à Mardochæo, an ab alio scriptus: Quanquam nõ ignoro, quæ tempora alij assignent. Reduces è Babylonica seruitute Aggeus & Zacharias, & quem addunt Malachias, siue is Esdras fuit, siue Zacharias, sermones diuinos ediderunt. Esdræ liber, & Nehemię liber, ijs tribuũtur, quorum nomina præferũt in titulo, quorumq; res

præci

præcipuè narrant. Nec tot annorum historiã continent, quot multi scriptores ueteres attribuunt. Postrema est epitome librorum τῶν παραλειπομένων ab origine hominum ad tempora Machabæorum, & ulterius forsan deducta. Nã licet in tempora Cyri & liberationẽ populi Iudaici è Babylone desinere uideatur, tamẽ cap. 3. prioris libri genus Zorobabel, qui redeuntis populi dux fuit, usq; ad undecimam generationẽ prorogat. Itaq; scriptores canonici à Iob, qui circa descensum Israelis in Ægyp. scripsit usq; ad confinium sæculi Machabæorum annos circiter MCCCC. continent. Qui omnes scripserunt Hebraicè præter Danielem, qui secundo & deinceps quinq; capitibus Chaldaicè exponit res in Chaldæa gestas: præterq; Esdram, qui capite quarto ac deinde usq; ad octauum decreta regum Persicorum Chaldaicè refert. Vna etiam sentẽtia uerbis Chaldæis exprimitur Hierem. 10. cap. per mimesim Assyriæ dialecti. Paucule quoq; dictiones in Iob ponũtur Syris & Arabibus concedendas. Quæ quidem idiomata non longius dissident, quã Æolica dialectus aut Dorica distant à communi Græcorũ lingua, ut usum constantẽ Hebraici sermonis tot sæculis interim labẽtibus testẽtur hi sacri scriptores. Et quanq; bona pars scriptorũ Hebraicorũ intercidit, uelut annales regũ, ex qbus habemus duas epitomas, libros regũ

& uerba dierum, seu Chronica, nec non multa, quorum annales, & Moses faciunt mentionē, ut sunt scripta Gad & Nathan, & Osai, & disputationes physicę Salomonis à cedro Libani usque ad hysopum: atq; alia, parua tamen portio linguæ collapsa & perdita est, eamq; iacturam æquo animo ferre decet in hac amplissima doctrina, quum singuli etiā scriptores diuini, uel Moses, uel Dauid, uel Salomon, uel Esaias, uel Oseas, uniuersam scientiā benè beateq; uiuēdi plenissimè contineant. Quis uerò dubitet optimo consilio cœlestis parētis id euenisse, sine cuius nutu ne pili quidē nostri capitis in terrā cadunt? Qui procul dubio, quod in illis amissis scriptis cognitu necessarium aut utile fuit, in hos reliquos ecclesiæ doctores transtulit, & facultates Hebraicum sermonem discendi, quatenus ad theologiæ usum confert, minimè abstulit. Quis enim compos mētis suspicetur aliquā inesse malignitatē ingenio domini dei, ut uoluerit hominibus boni, & recti, & ueri noticiā desyderantibus negare scitu salutaria? Aut in eloquio suorū interpretū spargere offutias, & torquere Gordios nodos, & sphyngis ænigmata, in quibus diu multumq; nitendo frustra haberetur omnis pius conatus? Qui amās hominū est, omnesq; uult ad notitiā ueritatis peruenire, omnes uult saluos fieri, neque pepercit filio unigenito, quin traderet in mortem crucis pro pecca-

peccatoribus,ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam? Quomodo autem credent, ait Apoſtolus, niſi audiuerint? Fides ſcilicet ex auditu eſt, auditus autem per uerbum Dei, nimirum explanatum & probè intellectum. Delegauit igitur munus aperiendi arcana rerum cœleſtium,& doctrinam de ſupremi boni natura atq; uoluntate, de religione ac fide,ſpe,charitate,de officijs hominũ cuiuſcq; generis,nõ certè hominibus ineptis, et pinguis Mineruæ,qui carerent intelligentia cõmuni,& iudicio ſano,qui rerum eſſent imperiti, qui abhorrerent à naturali,hoc eſt, optima ratione loquendi,qui prauitate ingenij, aut moribus incõpoſitis, aut uitiorũ labe animos hominũ à ſtudio ueritatis auerterent. Videlicet Deus qui ſeipſum abnegare non poteſt, leges & inſtituta naturæ ſuæ uoluit infringere atq; reuellere in delectiſſimis uiris & ab utero ſegregatis, ut Hieremiæ dicitur, ad functionem explicandæ ſapientiæ? Et qui orationi benè informatæ uim addidit maximam, eam ſuis oratoribus adimere uoluit? Qui per apoſtolum primarium facultatem dicendi, ut cœleſte donum prædicat,& uiris eccleſiaſticis præſcribit, ac in filio unigenito expreſſit,qui potens fuit in uerbo & opere, is negauit diuinis uiris, per quos in uniuerſum orbem uera ſolidáque ſapientia diffunderetur,genus dicẽdi aptiſſimũ ad docendũ,&

detinendos animos, & flectendum? Mihi quidem uidetur in uita, & ingenio, & sermone scriptorum diuinorum ad uiuum esse expressum, quod insignia uiri ecclesiastici pertulerunt. Habuit enim rationale pontificis, quod pectori apponebatur, אורים lumina, & תמים integritates atque perfectiones, ut animus non simplici & exigua doctrina leuiter tinctus sit, uerum diuinarum & humanarũ rerum cognitione imbutus, & in omnibus actionibus atque consilijs, integritas animi, synceritas & moderatio recti sermonis, & uitæ innocẽtia conspiciãtur. Nam quòd Hieremias negat se peritum dicendi, & Amos profitetur se armentarium ac stringentem sycomoros, non prophetam, neque prophetæ filium, modestię sanctæ est, quæ sua extenuat, & ad maiestatis diuinæ gloriam obstupescit. Quemadmodum Paulus imperitum sermone se dicit, in quo tamen omnes uirtutes maximorũ oratorũ extitisse scripta indicant. Quod multis eloquentia in diuinis scriptoribus sordet, quia de cœlo non de terra originẽ ducit, quòd Moses ab impio cane Luciano βραδύγλωσσος dicitur, id ex peruersitate iudicij humani fit. Rationi autẽ & fidei consentaneũ est, ut agnoscamus, quod ita res habet, scriptores Hebraicos ingenio excellere, & doctrinã liberalem sapere, & genus dicendi secutos omnes, non Rhodium quidem, aut Asianum, aut Atticum, sed Hebraicum, hoc est,

sanum,

ſanum,ſyncerum,plenum, perſpicuum, uerbis frugale,& preſſum,aptum perſonis & rebus.In quo nihil deſit,nihil otioſum eſt,nihil à naturali ratione detortum eſt,in quo inimitabilis felicitas troporũ eminet,& ſchematũ præſertim ſimilitudinis & iconis. Voluerũt igitur ſanctiſſimi & eruditiſsimi oratores & interpretes diuinæ mentis intelligi,& quod ſenſerũt,potuerũt commodiſſimè eloqui, ut non modo priſcis aptè ac populariter loquerentur, uerũ etiam poſteris,in quos fines ſeculorũ deuenerũt,& propter quos omnia ſcripta ſunt.Sint ſanè quędã obſcura,& difficilia,& inquiſitionẽ aliquãdiu fruſtrentur. Veniũt tamen in notitiam tandem piorum, & diſcendi cupidorũ: canes autem à ſancto repelluntur,& porci à margaritis deterrẽtur, & prophani à ſanctæ linguæ myſterijs abarcẽtur. Loquuntur autẽ Hebręi theologi de rebus ijſdem, & plerunqꝫ uerbis eiſdem,quia non uariant ſententijs,ut rarũ ſit uerbum,quod non apud plures ſcriptores inueniatur.Itaqꝫ collatio locorum faciet dilucidum,& certũ, quod in uno loco uidebatur anceps, obſcurũ, & propemodum inexplicabile.Quæ cõparatio ſcriptorũ quantum habeat momenti,pręſertim ſi accedat ratiocinatio,de qua ſupra locuti ſumus, res ipſa declarat. Hac enim uia ingreſſi homines nunquam ſatis laudati,Romanũ ſermonem non tam à Gothis quàm ab indoctis & arrogãtibus literatoribus,

non in prouincijs modo, ſed etiam in Latio & urbe, non collapſum & deprauatum, ſed propè extinctum, aliquot annis operam & opem conferentes ita in uſum & priſtinū nitorem reſtituerunt, ut Gallia, Hiſpania, Germania, Sarmatia, Britannia, & ultima Thyle, non quærat de rhetore Latino, ſed oratores ſummos in latino ſermone exhibeat. Idē ut fiat in Hebraico ſermone ſedulo hortarer bona ingenia & pietatis chriſtianæ ſtudioſa, ſiquid ponderis haberet mea oratio: & ſperarem feliciſſimū euentum ex deo, qui fauet ac præſto adeſt præclarè conantibus.

Reſtat ut de copijs & auxilijs dicatur, quæ omnis generis ſcriptores adferūt inſtaurandis literis Hebraicis, quæ mihi ꝑmagna eſſe uidentur. Nam primum conſtat noui teſtamenti ſcriptores nihil noui continere, ſed quæ ab Hebræis ſcriptoribus prodita fuerunt, exhibita iam eſſe in Chriſto teſtari: ut maiores interpretes requirere planè ſit nefas. Nam euangeliſtæ quatuor Ieſu Chriſti domini & ſeruatoris noſtri genus tum diuinum tum humanū referunt, eiusq́ dicta & facta, & uitam æternam ipſius morte partam uniuerſo generi hominum, iuxta uaticinia & typos ueteris theologiæ. Sæpe nominatim Moſis & prophetarū reliquorum ſententiæ repetuntur. Et dominus remittit ad ſcripturas, q̇ nihil extra priorem canonē afferat. Lucas etiam longius hiſtoriam producens, memorat, ut dominus

minus receptus in gloriam, acceperit regnum æternũ in cœlo & in terra, prædicato passim & recepto Euãgelio in Gentibus. Matthæus quidem Hebraicè scripsisse traditur à magnis authoribus, & per Iacobum apostolũ in Græciæ sermonẽ translatus. Omnes certè ita Græcè loquuntur, ut Hebraismũ uernaculum agnoscat nõ imperitus, neq; supinus lector. Id quod animaduertere etiam licet in scriptis apostolorum Pauli, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ. Qui epistolis ad diuersas ecclesias, imò ad unam Christi ecclesiam missis, nihil docent aliud, quàm quod sermones prophetarũ. Partim enim docent fidem, seu ut philosophorum uerbis utar, finem summi boni præstituunt, docentq; beatitudinẽ uerã obtingere fidelibus ex gratia dei per Christi iustitiam & meritum, partim officia præscribunt præcipiendo, monendo, minando, pollicendo, exhortãdo. Et quibus modis non? Qui ecclesiæ magistri primarij adeò congruunt cum ueteribus, ut Paulus coram Agrippa dicat, se nihil omnino docere, quod non sit cõprehensum in lege & prophetis. Eius quoq; epistola ad Hebræos fertur hebraicè primum scripta, & postea per Clementem, aut Lucam in græcum sermonem cõuersa. Quanq; aliqui etiam Clementem eius authorem uolunt. Apocalypsis autem quæ ab alijs Ioanni euangelistæ, ab alijs Ioanni presbytero adscribitur, re uera est, quod titulo

promit-

promittit, reuelatio, & interpretatio uaticinio-
rum Esaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, Danielis, Za
chariæ, & aliorum, quæ iam in Christo & eccle
sia expleta sunt, & porrò explenda usq; ad con-
sumationem sæculi. Itaq; assentio eis, & hic me
am religionem libero, qui Cerintho, & impo-
storibus spiritibus apocalypsim diuinam attri
buunt. Rectè quidem Hieronymus ad tantos
authores confugit, quoties premitur authorita
te LXX. interpretū. Rectè & nos illis nitemur,
grauiusq; pondus meritò habebit, quod apo-
stoli & Euangelistæ tradunt, adeoq; uerbū dei
incarnatum, & os in quo dolus non repertus
est, quàm quod R. Akibas, & Hilel, & Samai,
& tota synagoga oblatrant. Neque dubitabo
שבק Syro sermone id esse, quod עזב Hebrai-
co sermone, ἐγκαταλείπειν Græco, quia diuinus
interpres ita expediuit Matth. scilicet XXVII.
cap. Quanquam non contemnam Chaldæum
interpretem, qui ad eundem modum transtu-
lit Psal. XXI. Vnde uerba illa Seruator in cruce
retulit. רעה עין oculum malum, pro inuidia
poni Hebræis per notationem, quæ species cir
cumlocutionis est, euidens & certum facit, etiā
si nihil accedat aliud, dominus in parabola
Math. XX. qui Hebraismum Græcis uerbis red
didit, non mihi licebit benigno esse, quia tuus
oculus prauus & nequam est? Tametsi consy-
derandum puto, an scriptores noui testamenti
uolue-

uoluerint uerbum uerbo reddere, an ſenſum de ſenſu exprimere. Secũdo in ordine collocandi uidentur libri eccleſiaſtici, quos etiam hagiographa nominãt, & ſancta ſcripta: quæ etſi non habent idoneam authoritatẽ roborandi ea, quę in contentionẽ ueniũt, ut Canonici ſcriptores, non tamen reijciuntur, ut apocrypha. Qualis fuit ꝓphetia Eldad & Medad, aſcenſio Moſis, Apocalypſis Heliæ, & multa id genus maligni ſpiritus cõmenta. Eccleſiaſtici autem libri etiam in ſcholam & auditoria fidelis populi admiſſi ſunt, & tam uenerandi multis, ut Iudith etiam in ordinẽ canonicæ ſcripturæ à quibuſdam reponeretur. Qui libri eccleſiaſtici propterea intelligentiam ſcriptorũ Hebr. adiuuabunt, quòd eadem magna ex parte replicãt, & phraſim Hebraicã in Græco ſermone exhibent, præter unũ libellũ Sapientiæ, de quo mox plura. Nam ordine temporum ſeruato enumerare placet. Pars eorum librorũ continet hiſtorias à temporibus Ezechiæ uſque ad ortum Pompei, qui primus abſtulit Iudæis regnum. Tobias à diuo Hieronymo ex Chaldæo ſermone trãslatus in latinũ, ſicut & Iudith, memorat res geſtas in Aſſyrijs poſt abductas decem tribus in ſeruitutẽ inſigni exemplo docens pietatem mutuam parentũ, & liberorũ, & coniugum. Iudith fidei & conſtantię naturam oſtendens, refert Bethuliam à duce Nabuchod. patris magni Nabuch. qui Zede-

ciam & Ioachim & Iechoniã cepit, obsessam, opera uero sanctissimæ fœminæ Iudith liberatã. Dubiũ uero mihi est, an eo bello factũ sit, quo & Manasses rex Iudæ in Assyrios deportatus, sed mox remissus est domũ. Nam illo regnante in Medis Deioces, qui & Arphaxat cognominatur, Ecbatana cõdidit. Quanquam non me latet Iosephũ hęc ad Cambysen traijcere. Habet Daniel appendicẽ de Susanna, & Beli dracone: habet Esther quędam additicia. Esdrę tertius liber repetit de phase Ezechię, quod in Regum libris habetur, & post reditũ e Babylonia, quę in Esra & Nehemia, interposito certamine ingeniorũ atque sapientiæ, in quo uictor euasit Zorobabel. Machabęorũ libri afflictionẽ Israẽlis per Antiochum Epiphanem, & Macedonas memorat, in quibus luculentissimus typus Antichristi geritur. Pars ecclesiasticorũ librorum de pietate atque morũ institutione disputat. Baruch enim colligens sentẽtias Esaiæ & Hieremiæ, quæ ad ψόγον idolorũ faciunt, idololatriã insectatur grauissima uitupatione. Esrę quartus liber habet uarias prophetias, & plurimus est in uisis, ut Ezechiel, Zacharias, Daniel. Iesus filius Sirach circa olympiadem CXXXVIII, Ecclesiasticũ librum edidit, quem & Sapientiã nominant, & Hieronymus apud Hebræos titulo parabolarum inscriptum reperit. Quem utinam propediem exhibeant in Hebraico sermone, qui nos in bonã

spem.

ſpem erexerunt. Tradit autem philoſophiam gnomis,qui mos uetuſtus admodum eſt,& ple raque in Eccleſiaſte & Prouerbijs Salomonis antea dicta ſunt.Liber Sapientiæ,qui tribuitur Philoni Iudæorũ eloquentiſſimo, & alteri Platoni, ut critici dicunt,copioſius proſequitur,& græca eloquentia, quæ in Prouerbiorum initio ad laudes ueræ ſapientiæ pertinent.Oratio Manaſſis,quæ in Græcis exẽplaribus deſideratur, planè phraſim Hebraicã redolet. Igitur ab illis etiam ſcriptoribus eccleſiaſticis adſeritur,quod illuſtriorẽ faciat Hebraicã doctrinã.ut ſi doceatur אח tum fratrem ſignificare, idq; propriè & præcipuè,tum omne id,q̃d natura ſimilitudinẽ & propinquitatẽ habet, nónne in loco adhibebitur illud ex 35.cap.Eccleſiaſt.qui effundit ſan guinẽ,& qui fraudat mercenariũ,fratres ſunt?

Tertio gradu ſtatui uident interpretes Græci & latinus Hieronymus.Qui etſi nõ ſemper ſco pum attingũt, interdum codices uitiati ſunt,in pleriſq; tamen docere poſſunt.Eſt enim transla tio ſcriptorũ, munus ſpirituale tum interp̃tatio nis,tum linguarũ,eoq; minimè contemnendũ, præſertim quũ apoſtoli Græcorũ interp̃tatione uti nõ uerent. Et in hexaplis ordinatos interpre tes eccleſiaſtici uiri non modo ipſi ſtudioſè legerũt olim, ſed etiã in cõcionibus ſuis expoſuerũt populo. Quid q̃d Iudæorũ præcipui autores,& anteſignani ad eos cõfugiũt in locis ambiguis?

Septuaginta quidem ſenioribus, qui à Ptolo-
mæo Philadelpho in Ægyptũ uocati, libros di
uinos Moſis interpretati ſunt annis ante Chri-
ſtum natum CCL, multum fidei addit tempus
ipſum, quando nullum Iudæorum extitit odi-
um aduerſus Chriſtum, ut dedita opera uellent
eius gloriam obſcurare. Hieronymũ uerò claſ-
ſicum authorem, & interpretem codicis diuini
apud Latinos fide digniſſimum, confitetur or
bis Chriſtianus. Itaq; legendi ſunt, & cum iudi
cio, & toti, ut quod uno in loco imperfectius ui
detur, ex alijs reſarciatur, & ſequendi ſunt, niſi
euidens ratio, quæ authoritate humana eſt ma-
ior, ab eorum ſententia deducat. Quando autẽ
multa concurrunt teſtimonia, & demonſtratio
non friuolis coniecturis nixa opitulatur, neq;
aliquod argumentum in partem contrariã ob-
ſiſtit, magnæ temeritatis fuerit eis repugnare.
Proin ſi quis doceat, מראה עירים primo qui-
dem ſonare id, quod Latini dicunt obtutum
oculorum, ſed & transferri ad animũ, ut è pro-
pinquo ſenſus exterioris propria commigrent
ad interiorẽ animæ ſenſum frequentiſſimum,
& ſignificare opinionem, poteſt id quidem rati
onibus fulciri. Sed fit res multo illuſtrior & cer-
tior, quum profertur, LXX. ſenioribus attributa
interpretatio, quæ κοινὴ, id eſt, cõmunis dicitur,
qui Eſa. 8. cap. conuerterunt in δόξαν; quod o-
pinionem & exiſtimationem ſonat Græcis ho-
mini-

minibus. In uoce שפן mirè uariant interpretes & grammatici, ipseq́ Hieronymus, qui Leuit. 11. & Deut. 14. transfert Chœrogylium, non Cyrogrillum, ut mendosi codices habent, Prouerb. 30. lepusculum, Psal. 104. herinaceum, idq́ asserere uidetur in commentarijs Matthęi, in annotationibus Psalmorum ad Suniam & Fretelam sententiam suam rectè explicat. Vbi enim legitur in uulgata editione, Petra refugiũ herinaceis, pro quo inquit in Hebręo positũ est sephannim, & omnes χοιρογυλλίους uoce simili trã stulerunt, soli LXX. lepores interpretati sunt, τοῖς λαγωοῖς. Sciendum est autem animal esse nõ maius hericio, habens similitudinem muris & ursi. Vnde & in Palestina ἀρκτομῦς dicitur. Et magna est in istis regionibus huius generis abundantia, semperq́ in cauernis petrarum, & terræ foueis habitare consueuerunt. Ex quibus intelligitur sanctissimum uirum iuxtáque doctissimum aliquando in aliorum sententiam descendere interpretando, quum neque herinaceum, neque leporem, aut cuniculum intelligat per שפן, sed murem alpinum, quem uulgò murem montanum uocant. Cuius animalis forma, & astus, & totum ingenium ex Plinij octauo libro cognita scripturæ sacræ locis optimè quadrant. Scribit etiam Aristotel. in sexto de animalibus, & post eum Plinius in decimo Ægyptijs muribus, qui cum alpinis habent

magnam cognationem esse durum pilum, ut herinaceis. Simile huic est, & nunquam in disputationibus linguarum prætereundũ, quod de קיקיון apponemus: ob cuius uocis interpretationem, quia cucurbita cum hedera esset permutata, Hieronymo sacrilegij crimen impegerunt æmuli, idq; Romæ. In Africa autem oppidum quoddam cucurbitaria seditione concitatum, præsidem ecclesię coëgit, cucurbitam reddere, quia Iudæi rogati quid significaret uerbũ קיקיון, quod Ionæ quarto cap. ponitur, nec alibi in scripturis sanctis, responderant cucurbitã non hederam sonare. Quanquam Iudæorum pars melior aliter hodie sentit. Syrus enim uocẽ integram relinquit. Abraham Aben Esra fatetur ingenuè, se inuestigare non potuisse certum significatum. Audiuisse quidem doctissimos Iudæos in Hispania, quorum pars pro דלעת cucurbita, pars pro קרה cucumere accipiat. Salomon Gallus עשב herbã dicit caulas supernè pandentem ac umbras magnas iacientẽ. Idem fermè dicit Kimhi in commentarijs & in Michlol, qui etiam ex thalmudicis scriptoribus meminit olei ex קיק, & testatur eam plantam Arabicè uocari אלכרוע. Aliqui ex nostris nõ sine ratione uitem albam intelligunt. Septuaginta uerterunt κολοκύνθαν, Aquila, Symmachus, & Theodotio κισσόν, quod est genus hederæ. Idq; secutus Hieronymus Latinè reddit hederam, quanq;

quanquam non ignoraret aliam rem eſſe. Sic e=
nim ſcribit in commentarijs Ionæ, & in ean=
dem ſententiam epiſtola quadam ad Auguſti=
num קִיקָיוֹן lingua Syra & Punica Elkeroa di
citur. Genus uirgulti uel arbuſculæ lata habet
folia in modum pampini, & umbram denſiſſi=
mam, ſuo trunco ſe ſuſtinens. Quæ in Paleſti=
na creberrimè naſcitur, & maximè in arenoſis
locis. Mirúmque in modum ſi ſementem in
terram ieceris, citò confota conſurgit in arbo=
rem, & intra paucos dies quam herbam ui=
deras, arbuſculum ſuſpicis. Vnde & nos eo=
dem tempore, quo interpretabamur, uolui=
mus idipſum Hebrææ linguæ nomen expri=
mere: quia ſermo Latinus hanc ſpeciē arboris
non habebat. Sed timuimus grammaticos, ne
inuenirent licentiam commentandi, & uel be=
ſtias Indiæ, uel montes Beotiæ, aut íſtiuſmo=
di quædam portenta confingerent: Secutíque
ſumus ueteres translatores, qui & ipſi hederam
interpretati ſunt, quæ Græcè appellatur κιασός.
Aliud enim quod dicerent, non habebant. Ha=
ctenus noſter Hieronymus, cui ſuffragan=
tur uetuſtiſſimi ſcriptores Hebræorum, qui
אלברוע uocari teſtantur ſermone Arabico,
ut dubites ille ne ab Hieronymo, an contrà is
didicerat à Iudæis, an utrique ab Arabibus,
quibus eſt magnum eſt commertium linguæ
cum Hebræis. Eaq́ue uox in Meſue agnoſcitur
detracto

detracto articulo Arabico אל, qui scribit de oleo ex ceruа, quod Cicinum uocatur.

Post hos sequuntur Iudaici scriptores non modo cõmentariorũ, uerũetiam translationũ authores, & qui cõposuerunt dictionaria, quiq; tradiderũt præcepta grammatices. Qui minus præsidij afferunt homini Christiano, quòd eorum sermo æquè ignotus est, uel potius ignotior, quàm scriptorum sacrorum, ut nemo cum fructu legere possit, qui non promouerint in lectione bibliorum Hebraicorũ. Deinde referti sunt nugis, neq; iucundis, neq; utilibus scitu, & habent multa friuola & aculea: in dogmatibus autem non pauca impia & nefaria. ut sit opus confirmato iudicio ad eorum lectionem. Si cui tamen otium, & ingenium, & aliqua peritia rerum Hebraicarũ est, ut possit cum iudicio legere, possunt & illi iuuare. Inter quos iure primatum obtinẽt Syriaci interpretes Onkelus & Ionathan filius Vzielis, & Thargũ Hierosolymitanũ, & cæteri qui Syriacæ linguæ fuerunt peritissimi, quæ in multis gentibus integrior superest, & cum Hebræa proximam habet cognationem. Græcæ quoq; linguæ non fuerunt ignari, & ad interpretes Septuaginta diligenter respiciunt. Deinde sequetur משנה, id est, δευτέρωσις; & secundaria legis explanatio, quod & תלמוד doctrinale dicitur, in quod traditio Iudaica im penso studio congesta est. Atque ex illa gemina

scaturi=

ſcaturigine in poſteritatē ſynagogæ manauit, quanta quāta exiſtit in libris Iudaicis eruditio, additis illis, quæ à gentilibus philoſophis hauſerunt, & è noſtrorum libris, licet magno ſupercilio diſſimulent. Ex illis authoribus & Kimhi ſua mutuauit, de quo quid ſentiā, alibi dicendum uidetur. Igitur ſi explicanda ſit loquendi formula, quæ ex geminatione uerbi naſcitur adiuncto relatiuo, quale illud eſt primo Regum uigeſimotertio de fuga Dauidis & ſociorum, ויתהלכו באשר יתהלכו ibant, in quem locum ibant, hoc eſt, incertis ſedibus errabant, nullúmque fixum locum habebant, in quo conſiſterent: quod latinus interpres doctè reddidit, huc illucq́ incerti uagabantur. Si tale genus locutionis enarrandum uenit, non malè componetur ſimilis oratio ex Thalmud, & tractatu Sanhedrim, cap. helek, & alibi poſitum de annis ſæculi & Meſſiæ. Quum enim traditio, quam referunt acceptam familiæ Heliæ, aſſerat, mundum ſex millibus annorum eſſe duraturum, ex quibus inanitati ante legem cedant bis mille, & temporibus legis bis mille, & Meſſiæ bis mille, quem iam annis M. D. fruſtra expectant, aiunt de annis Meſſiæ aliquot decerpi ob ſua peccata, ſed incerto atque indefinito numero annorum. Dicunt enim בעונותינו שרבו יבאו מהם שיבאו, id eſt, & ob peccata noſtra, quæ multa & grandia ſunt

exeunt ab eis, qui exeunt: pro eo, decerpuntur ex eo numero aliquot anni, quotquot tandem futuri sint. Postremò nullum est genus scriptorũ, nulla scientia, nulla tam remota lingua, unde non possit aliquid adferri opis ad illustrandam noticiam Hebraicę linguę. Quod nisi planius doceatur, multis uidebitur incredibile. Primóque considerandum erit, ut omnium populorum atque nationum sermo ex Hebraica lingua diffusus sit. E diuina historia Mosis de origine rerum certò nouimus etiam post diluuium aliquot exactis annis unum fuisse nomen totius generis mortalium, & unum labium, uel ut Onkelus interpretatur אמלל sermonem, eò quòd labium pręcipuum est organum fingendi uoces, & aperiendi sensa mentis. Eum autem sermonem cunctis hominibus primitus communem Hebraicum fuisse tum alia docent, tum propriorum nominum & forma & sonus, & etymologię ab Adam & Heua, per Seth, Lamech, Enoch, Noah, Iapheth, Cham, Sem, usque ad Eber, unde sunt dicti Hebręi, & lingua Hebraica, quę in ipsius familia per Paleg, Abrahã, Isaac, Iacob, & cęteros prorogata est. Cuius etiã filius Paleg, id est, diuisio, nomine fatali appellabatur, denuncians eo superstite orbis colonias deducendas esse de nepotibus & filijs Noah, ut habitatoribus impleatur orbis, & eueniat, quod

quod oraculum prædixit, Iapheth habitatu-
rum in tabernaculis Sem, & Sem fortunatum
fore, ut ex quo descendit CHRISTVS secun-
dum carnem, & Chanaan seruituti utriusque
subijciendum. Habent autem propria nomi-
na uernaculũ quiddã in omnibus linguis, uelu
ti Gothica, quæ in rich & precht desinunt,
aut ex eis composita sunt, Alarich, Fridrich,
Thietrich, Vildprecht, Gotprecht, & alia id
genus. Quemadmodum Herodotus monet
Persarum nomina, sin litera uel sigma termina
ri, ut Cyrus, Darius, Cambyses. Verum huic
Dei consilio immutabili temeritas hominum
contrauenire ausa urbem atq; turrim, cuius fa-
stigium cœlum attingeret moliri cœpit in ter-
ra Sennar, quæ ab euentu postea Babel dicta
est, ne obsequentes oraculo superficiem terræ
occuparent ubique locorum. Capiuntq; con-
siliũ infoelix nomen suũ cosecrandi sempiterna
memoria, & locũ longè celeberrimũ exędifican
di, ad quẽ unanimes cohabitarent, nec se paterẽ
tur ullo pacto diuelli. Sed enim dominus, quẽ
nihil fugit, & cuius uoluntati nemo resistit, im-
piam conspirationẽ alia uia nõ uoluit disijcere,
quàm perturbatione sermõis, quẽ pro sua inef-
fabili bonitate unũ omnibus concesserat ad cõ
iungendas uoluntates inter sese & cõmunican-
da cõsilia, & mutuũ auxiliũ. Vt igitur conatus
eorũ fierẽt irriti, & opus aliquousq; productũ

ut uideret iam nulla ratione impediri posse, non ulterius procederet, ac deposita impietate homines isti desinent obsequi diuinæ sententiæ, & in diuersas orbis partes migrare, quã sors dei cuiq; assignauerat, ut Psalmographus canit, labium eorum uariauit deus, ac miscuit, non cuiq; familiæ nouum sermonẽ attribuit. Aliter enim illud Moses indicasset per uerbum פָּלַג diuisit, aut הפריר separauit, aut הבריל distinxit. Sed בבלה inquit confusum & permixtũ est labium, ut ex uno sermone cõmuni, plures dialecti prodirẽt, & primogenitus integer superesset æternus testis, quòd aliquãdo una omnium fuerit lingua, propter impietatem uero Nimrodicæ conspirationis multa differentia introducta, quæ commertium sermonis tolleret. Sicuti contrà spiritu Christi accepto apostoli Hierosolymis loquuntur, quod intelligerent Medi, Parthi, Elamitæ, Cappadoces, Romani, quo significabat̃, unam esse fidem, unum deum, unũ in Christo populum fidelium. Cæterum ut sermonis cuiusuis diuersitas ab aliis, & idioma uernaculum hodieq; spectatur; ita fuit etiam in illa subita confusione linguarũ ad turrim Babel. Vel enim uariauerũt dialecti mutatione integræ dictionis, & iussus porrigere trullam, forsan exhibebat regulã aut perpendiculũ, & iubens intendere funes ductarios uidebatur imperare, qui remitterentur: petensq; ligonem, iuxta prouerbiũ, accipiebat fal-

cem.

cem. Vel in parte dictionis puta literarũ permutatione, additione, detractione, transpositione. In quibus tantum est uirium ad mutandam significationẽ, ut una prosodia mutata nouum quiddam offerat menti: longè nancp diuertunt hara & ara, olêre & olere in eadem lingua Romanorũ. Scitum est illud Fabij, quòd rusticus interrogatus, ecquid nouisset Amphionem? minimè respõdit. Rursum interrogatus, ecquid nosset Ampionem? optimè inquit, nempe uicinum & amicũ meum. Vel in connexione plurium dictionũ, ut tollere pedem, aliud Hebræis est, aliud Germanis, aliud Latinis. Et quo plura istorum trium cõueniunt in duabus aut pluribus linguis, eo propinquiores sunt, & permittunt hominum consuetudinem non incõmodam. Itaqp pater Abraham è familia Eber oriundus, inter Chaldæos sine interprete uitam aliquandiu transegit, deinde Charris in Mesopotamia, quæ est pars Aramæorũ, deinde in Chanaan seu Phœnice, deinde inter Palestinos & Ægyptios, quanquam omnium istarum gentium diuersæ linguæ fuerunt, sed quas ingeniosus homo, & sagax subtili animaduersione ad unius formam reducens, & intelligere, & loqui posset. Quo magis discrepant linguæ in singulis dictionibus, & dictionum transformatione, & connexione duorum aut plurium uerborũ, eo longius dissident, ac hominum contubernia

diſſociant. Nam Romano cum Græco melius conueniet, quàm cum Tartaro aut Indo. Sunt autem non tantũ LXXII dialecti, quot filij & nepotes trium patriarcharũ, qui terrarũ orbem colonijs impleuerũt: ſed ἀπερίληπτοι, & innumerabiles, ut de ſermonis ſchematibus quidam ſenſerunt rhetores. Quum enim quinque ferantur Græcarũ dialecti, rurſum tamen Ionica in quatuor inſignes diſtribuitur. Et ſingulis ciuitatibus in eadem gente proprium quiddam in loquendo eſt. Quemadmodũ in Liuio eloquentiſſimo uiro notauit Pollio Patauinitatem, quia T. Liuius fuit Patauinus. Et Theophraſtus ob unius uerbi enunciationẽ inſolentem à muliere Attica hoſpes appellatus eſt. Et Iudæi ultra Iordanem degentes in Galaad pronũciatione unius uerbi שבלת deprehenderunt Ephraimitas Iudæos. Quũ autem in ſimilitudine linguæ aut diuerſitate ſit tantũ uirium ad ſocietatem inter homines ineundam & retinẽdam, aut rurſum dirimendam, quos una in parte mundi uicinos & contubernales deus uoluit eſſe, cõmuni dialecto uelut ſymbolis & teſſeris in populi unius cenſum conſcripſit, alios diuerſo idiomate ſeparauit longius aut propius. Itaq; inter linguas filiorum Sem, qui continuatis deinceps ſedibus à Tauro monte in Aſia minore præter occiduã partem ad mare Mediterraneũ, & præter Arabias, totam Aſiam inter Taurũ ſepten. limitem

& Ocea-

& Oceanum meridionalem obtinuerũt, maior est propinquitas, quàm cum linguas à Iapheth oriundorũ, qui Europam sortiti sunt, & Asiam minorẽ, & quicquid est à Tanai inter Oceanũ hyperboreum ac Taurum limitem Iapetidarũ atq; Semidarum usque in orientem. Similiterq; dialecti populorum à Cham descendentiũ, qui totam Aphricam, & in Asia occidentales partes usque ad Amanum à septen. & Euphratẽ, atq; sinum Persicũ ab oriente incoluerũt primitus. Et in confinio duarum gentium cernitur quædam linguarũ collusio, & ex duabus uicinis temperamentum, ut non abrumpi, aut desinere, sed cõmitti linguæ inter se uideantur: sicut in corporibus animalium, & in elementis uideamus uicinas partes cõmitti. Quemadmodum Germanus Italiæ aut Galliæ conterminus propius accedit ad istarum gentium linguam, quàm Germanus mediterraneus, aut septentrionales partes incolens. Postea uero gentibus emigrãtibus interdũ in remotissimas sedes seu fame, seu auaritia, seu ambitione, seu ferina immanitate extimulantibus, per commercia, per instituti alieni æmulationẽ, per bella & dilatata imperia uehementer sunt inter se linguæ permixtæ. Vt enim populus Rom. res plurimas cum ipsis nominibus aliunde accepit, trabeam, catapultã, petorita, esseda, & alia infinita, quorũ admixtione fit illa sermonis uariatio, quæ barbaralexis nominatur.

natur, ita uicissim plurima dedit alijs populis: neque fuit minor ambitio dilatandi sermonis Romani pomeria, quàm ipsius imperij: Quia Romani redacta Græcia & Asia in ditionem, Latinè res omnes uoluerunt transigi, ut honos Latinæ uocis, quemadmodũ Valerius inquit, per omnes gentes uenerabilior diffunderetur. In Aphrica, in Gallia, in Hispania sermo Ro-manus prouincialis & popularis euasit. Gothicæ quoq; nationes quocunq; arma intulerunt, eo & sermonem intulerunt uel integrum, ut in Germanicis hodie terris animaduertitur, uel corruptum, ut Franci Germani Gallia occupata partim suum dederunt alijs, partim alienum acceperunt, ut Longobardi Insubribus deui-ctis, ut Galli in Asiæ parte, quæ Gallogræcia dicta est. Ita Sclauenorum scythicę gentes Sarmatiæ, & Bois, & Marcomannis Germanorum populis inuexerunt Sclauonicum sermonem. Ita Sarraceni rerum potiti longè lateq; cum imperio & religionem suam peruersam, & linguã Arabicam siue Punicam per Aphricam, & A-siam, & Europam propagarunt. Verum quo-modo se ista in rebus Iudaicis habeant, ab ori-gine prima usq; ad nostrum sæculum ex histo-rijs certis repetere breuiter, multam lucem affe-ret nostro negotio, ut & linguæ Hebraicæ ex-cellentiam euidentius cernamus, & quantum habeat coniunctionis cũ linguis omnium po-

pulo-

pulorum. Etenim abolito genere mortalium diluuio aquarum exceptis reliquijs, & seminario mundi reparandi, quod in arca Noë conseruabatur, seruata est tamen lingua omnibus communis ab Adam usque ad diluuium per annos 1656. Seruata est & rerum memoria tum in librorum monimentis, tum in Noë & filiorum ingenio, quæ ad posteritatem ab eis prorogata est. Vt certo sciretur, quo loco primi parentes conditi essent, aut quo loco Abel à Cain occisus, ubi Cain urbem ædificatam de filij nomine Heniochiā uocasset, unde & postea Heniochi dicti sunt eius loci incolæ. Igitur commodum arca in montibus Armeniæ conside nte, iuuit in eis partibus mundi constituere primum domicilium, ubi fata indicabant sedem beatissimam, quippe in paradisi loco, & primorū patrum in habitatione religiosa, & cœli clementia, soliq́ bonitate, mariumq́ & fluminum & montium opportunitate cōmendabili imprimis. Et uocarunt solum atque pauimentum camporum, & patentissima terræ spatia אשיה Asiam, hoc est, fundamētum, & montem per mediam terram, ceu arcem atque turrim arduis iugis deductam uocarunt טור, quod posteritas modicè in Taurum deflexit. Eiusq́ supremā partem גג, quod tectum & planam partem sonat, in quam extructiones desinunt superius, uelut altaria & ædes. Vnde incola montis גג denominatur. Ex qui-

bus facta sunt Gigas & Caucasus nomina, quę uberem materiam fabulãdi multis scriptoribus præbuerũt. Cæterum increscente indies hominum genere ad infinitam multitudinẽ, ut iam terra inter mare Mediterraneũ, Ægeum, Euxinum, & Mæotidẽ paludem, & mare Caspium, & sinum Persicum, atq; Arabicum, non posset continere, atque colonias deducere opus esset in orbis uacuas partes, & oracula impleri, quæ Noë filijs præcinuerat, anno reparati orbis circiter CXXX. confusis linguis ob conatus impios ædificantiũ turrim & urbem Babylonis. Iapheth XIIII. populis deductis occupauit Europã, & Asiæ magnã partem. Cham XXXI. populis Aphricã & pars Asiæ. Sem XXVII. populis reliquũ Asiæ. Et quanta sit uicinitas dialecti filiorũ Sem & Cham, non indiget mea demonstratione, quũ à ueteribus & recentioribus scriptoribus id diligenter factitatũ sit: diligentiq; inquisitione cognitũ est, Chaldæum, Assyrium, Arabicũ, Syriacum sermonem ita finitimos, ut pro uno quidam accipiãt, quod uerum est, si, ut omnes Græcorum dialecti una lingua gręca dicuntur, ea res intelligatur. Tantũ autem coniunctionis est cum sermone Hebraico istis omnibus nõ modo in dictionibus idem apud omnes significantibus, uerũetiam in dictionũ conformatione atq; modificatione, & literarũ elementis, & locutionũ formulis, ut non magis

congruãt

congruāt Attici, & Iones, & Dores in dialecto. Non longe autem ab eis abludere Æthiopū linguam, qui Aphricæ loca extrema obtinent, & Indorū qui per Asiam extremi sunt, compertū est usu. Veterem Ægyptiorū linguam finitimā fuisse multis argumētis patet. De Sidonijs, Tyrijs, Palestinis, Pœnis dicere, superuacaneū plane foret. De prosapia Iaphet, unde nostrū, hoc est, Teutonū genus descendit, paulo diligētius est explicandū. Eius filij septem, & totidem nepotes genarchæ à Mose indicantur Geneseos 10. cap. De quibus cum diuersa tradant magni scriptores, dabitur mihi uenia, si quod uerisimilimum legendo cognoscere potui ex tanta uetustate, simpliciter referam. Gomer non Galatas sed Cimmerios condidisse putatur, qui in Asia ad pontum Euxinum primo sedes habuerunt, mox in Europam transgressi, Tauricam Chersonesum occuparūt. Vnde Gothorum, & Guthonū, & Getarum familiæ. A quibus & Cimbri originem habere existimātur. A Gothis autem religiosis & fortissimis uiris Teutones prodierūt. Ascenaz eius filius protulit Ascanios in Asia minore, ibi Ascanius fluuius, & Ascania palus, & à Bithinis atque Galatis occupatæ terræ. Qui autem fiat, ut Germani Iudæis pro Aschenaz habeantur, coniectura eiusmodi collige, ab historiarum indicatione primum orta, quæ Germanis tribuunt originem Troianam.

ut capta Troia, quod accidit tēporibus Sāsonis iudicis Hebræorū, Heneti ex Paphlagonia cū Antenoro uenerunt in recessum intimum Adriatici sinus, & Æneas cum profugis Troianis in Italiam, ita credibile est partem Ascaniorum per Ægeum mare, & Euxinum, & Mæotidem paludem dilapsos transisse in septentrionem & impetrasse à primis habitatoribus insulā, quæ Scanzia dicitur, aleph detrito ex אשכנז quæ & Scandinauia, & alijs nominibus appellatur: unde se Garmamni effuderunt per loca, quæ hodieq; obtinent. Ripsath secundus filius Gomer Riphæos montes, & circumposita loca obtinuit. Thogarma tertius filius Gomer, & nepos Noe migrauit in Asiæ loca inter Caucasum & Hippicos montes, ubi Turci ponuntur, gens tot funeribus & calamitatibus habitati orbis nimis quàm nota hodie. Magog à Tanai usque in ortum solis, quod inter Taurū & Hyperboreū oceanum reliquū iacet, impleuit colonis, ubi Alani, Tartari, Sclastini, & reliquæ gentes Scythicæ. Nominis uestigiū superest in Machategis, & Massagetis, & Amagoh. Madai primo resedit in Madia minoris Asiæ ꝓuintia ad Euxinū, ubi Colchis postea dicta, et migrauit ad mare Caspiū, ubi Medorū regio sita est, literis & monimentis celebrata. Sicut & Lud filius Sem ad filios Iapheth emigrauit in Asiā minorē inter Elisam & Ionē, & regnū Lydorum.

dorũ condidit opulentiſſimũ. Thubal Iberiã in Aſia, & Albaniam obtinuit, ubi ueteris appellationis non obſcura extant ueſtigia. Meſchech partẽ Aſiæ ad pontum accepit, ubi Meſchitæ, & moſchici mõtes, & finitima loca Cappadociæ. Thyras in Europam totus migrans Thraciæ loca, & Myſię utriuſq;, & Daciæ. Nominis eñ ueſtigiũ cernitur, in Thrax & Threſſa, Tyras, Tyraſpolis. Et ſunt authores boni, qui gẽtes iſtas omnes Thracũ nomine cenſeãt. Iauen in Aſia quidẽ conſedit, ubi celebratæ Ioniæ indicatura ſpectatur: ſed in Europã traijciens, quicquid eſt ad maris Ionij & Adriatici ſinus utrunq; littus obtinuit. Eliſa nõ modò parte Aſiæ, quæ dicitur Æolis, obtinuit, ſed Helleſponto adiecta et loca, ubi Phrygia & Troas, & in Troade Iliũ. Translatis colonis in Gręciam nomen etiã reliquit, ut Hellas Græcia diceretur, & Elis, & alia. Tharſis inter Taurũ & mare obtinuit ſedem, ubi Iſſitus ſinus mediterranei maris orientaliſſimus receſſus. Teſtatur hoc nomẽ Tarſi nobiliſſimæ ciuitatis. Et quia periti fuerunt ac ſtudioſi nauiculatorię, poſteri Tharſis, coloniasq; deduxerunt in Hiſpaniã, ubi Tarteſſus Tharſis refert, ac mare obtinuerunt, indiderunt Oceano etiam nomen. A cuius colore cæruleo gemma etiam nomen accepit. Cithim Cetida incoluerunt partem Ciliciæ, & Pamphiliam inſuláſque obiectas

Cyprum, & Cretam, & alias. Dodanim, quod & Rhodanim legitur, Cariam, Doridem, & Lyciam occupauit, ubi Rhodia ueterē appellationem prodit, & adiecta insula Rhodus. Nec absimile ueri est, posteros Rhodan in occasum uectos per mediterraneum mare, ascendisse per ostium Rhodani, & incoluisse loca, quæ à Gallis Francis, & Heluetijs Germanis nunc tenentur. Italiam non ab una gente inhabitatam consensu historiæ probatioris testatum est, & Iapetum in ea tenuisse primatū, qui procul dubio Iapheth est: Tenueruntq́ bonam partem Græci, à Iauen descendentes: Et probabile est Thubal misisse colonias, quod non leues authores dicunt, uestigiumq́ cernitur in Albula flumine, & in Apulia, & in Sardiniæ Tibulatijs: Tharsis aūt in Hetruscis et Tyrrhenis. Iam uerò magnā esse conformitatem in lingua filiorū Iapheth, nō secus atq; perspicitur in dialectis filiorū Sem & Chā. Primū illud argumēto est, quòd Mithridates rex Ponti XXII gentiū, quibus pręfuit, linguas tenuit, & singulas ꝓ cōcione affatus est sine interprete. Quod profectò p̄stare nō potuisset quantūuis fœlix memoria, si tāta esset linguarū discrepātia, quāta uidet̄ multis. Deinde Latinus sermo & Græcus adeò cōfines iudicati sunt utriusq; peritissimis hominibus, ut dicerent illū esse huius discipulus. Et Gothicū siue Teutonicū habere cum

utroq;

utroq; multa cõmunia si dixero, nihil dubito risuros multos. Sed tamen uerissimũ est, ut non modò uoces cõmunes, & eæ plurimæ cernantur, uerumetiam in dictionũ inclinatione, & loquendi aut cõstruendi sermonis formulis colludant. Ad cuius rei fidem paucula tantum attingam. Infinitiuum uerbi Germani terminant syllaba en, ut Græci, & præsertim Æoles syllaba εν. Præterita finguntur augmẽto literæ g, gschlagen τετυφὼς. In nominibus cõparatiua & superlatiua pariter formantur apud Germanos & Græcos, ἀγαθός guoth, βέλτερος besser, βέλτιστος bessist, & cõtractè best. Deriuatiua exeunt in syllabam in, quæ Grecis ινος, hóltzin ξύλινος, ig quę illis ικὸς. Diminutiua in li et el, quę Græcis in λος, & in chi Saxonibus, ut Sclauis in ki, quæ Græcis in σκος & αξ. Sclauonicæ linguæ cum Teutonica & Græca plurimum congruit. Et Sclauonica Turcis, Circassis, Tartaris, & omnibus adeò per Scythiam populis, ut domestica & familiaris agnoscitur. In singulis quidem dictionibus Græcæ, Latinæ, Germanicæ, Sclauonicæ linguæ comparationem eruditissimam fecit Sigismundus Gelenius Boëmus omnium istarum linguarũ callentissimus. Vnum tantũ adijciam ob memorabile certamen, quod fuit inter gentes de antiquitate, quum Arcades se omniũ uetùstissimos iactitarent, & antelunares

Phryges

Phryges itidem. Quam controuersiam finitam aiunt à rege Ægyptiorũ, qui curauit infantes cu stodiri, ut nullius hominis audirẽt sermonem, & obseruari cuius gentis linguam repreſentarẽt natura duce. Nam eam linguam & gentem esse utiꝗ uetustissimam. Ibi custodes animaduerte- runt pueros cibi auidos, uoce bec flagitare ci- bos, quę Phrygũ lingua panem cibumꝗ sonet. Ita Phrygibus antiquitatis palma obtigit. At- qui paulo pressius intuenti apparet uocem illam Hebræo fonte cadere, quoniã Hebræi & Chal- dæi בַּג cibum uocant. Vnde Gothi uerbũ suo more finxerunt baccen, quod Germani aspira- tionis amantes fecerunt, bachen, becc autem pi- stor uocatur truncata syllaba formatiua nomi- nis uerbalis beccer. Cæterũ uel sola ratione com ponẽdi animaduertitur magna familiaritas ista rum linguarũ cum Hebraica. Non enim rara est compositio apud Hebræos, sed multa & fe- licissima, si tantum obseruetur Hebraicam lin- guam naturæ ductu & monitu postponere uo- cem, quæ facit differentiã, Græcos & Latinos & Germanos præponere in plerisꝗ. Proximè accedit ad componẽdi felicitatem Teutonicus aut Gothicus sermo, ultimũ gradum obtinen- te Latino. μακρόχειρ, longimanus, langhendig, אֶרֶךְ יַד, quæ composita sunt eadem ratione. At למודי האלהים, θεοδίδακτοι, docti à deo, gotsge- lert, non itidem. Nunc de gentis Iudaicæ com-

migra-

migrationibus uidendum est, & rerum uicissi-
tudine, ut clarius perspiciatur, rectè ne sibi arro
gent Iudæi præstabilem cognitionẽ huius san-
ctissimæ linguæ, quasi diuina sortitio assigna-
uerit ad æternam possessionem Iudæis linguã
diuinæ rei destinatam, cuius ipsi contemptores
maximi sunt. Et num cum eis adoleuerit, sem-
per culta & frequẽtata sit, peregrè in exiliũ abie-
rit, nunquã in tot grauissimis iactationibus ex-
torta, non abiecta, nõ posthabita sit, & ab eis ue
luti monopolis noticiam huius idiomatis præ-
tio magno redimendã esse: Et nõ potius à pro-
phanis scriptoribus etiã doceri, quod Iudęorũ
ne per somniũ quidem uidit μωροσοφία. Enimue
ro Abraham ætatis anno septuagesimo, à diui-
sione aũt linguarũ anno CCXXXII, quando su
perstites erant Phaleg, Eber, Sem, Noah, euoca
tus est ex terra Chaldæorũ, uenitq; in Mesopo-
miæ urbem Charras, & in Chananaicã exactis
ibidẽ quinq; annis, in Palestinã etiã & Ægyp.
quibus hominibus loqui poterat sine interpre-
te. Itaq; nihil prohibuit eũ purè atq; syncerè pa
triũ sermonẽ retinere, unde Eber etiã cognomi
natus est. Cæterũ ætatis annũ 85. agens quatu-
or reges uictores, qui magnã partẽ filiorũ Chã
in Asia degentiũ sustulerant, illato etiã bello So
domęis, dum fratrẽ Lot eripere uult et reliquos
captiuos, insigni atq; imprimis memorabili ui-
ctoria profligauit. Eoq; iure gentiũ dominus

regionum istarū factus est, quibus uacuefactis posteri Lot Amonitæ & Moabitæ, mox Ismaëlitæ, & reliqui ex Cetura uxore Abrahami progeniti inhabitauerunt uernaculum sermonē retinentes, nimirū Hebraicum. Eodem exemplo constantiæ Iacob nepos Abrahæ ex Isaac tum auitam religionem, tum patriū sermonem integrū cōseruauit, & pangendo fœdus cū Laban auunculo aceruū testimonij patrio sermone appellauit גלעד, quē Laban Aramæo sermone uocabat יגר שהדותא. Videtur & Esau frater Idumæam sorte obtinens domesticū sermonē retinuisse, unde ipsius posteri Iob & amici de causis ærumnarū & calamitatū, quæ accidunt hominibus disputantes Hebraicè colloquuntur. Inde rebus Iacob, qui & Israel cognominatur, auctis: Iosepho aūt imperiū Ægypti administrante, cū liberis in Ægyptum descendit à diuisione linguarū & gentium anno CCCCLII. Quando ex sentētia Iosephi sapiētissimi uiri & resp. Ægyptiorū, & res diuina literariaq; instituta est, qui bonis ingenijs et studijs rectis liberaliter cōsulens ad discendū & scribendū homines uehemēter incitauit. Qua ratiōe Hebræorū res et philosophia Ægyp. monimētis inserta, peruenit etiā in omniū eorū noticiā & libros, qui didicerūt à sacerdotibus Ægypti, ut Platonis philosophorū principis, & Diodori, atq; Herodoti parentū historiæ, atq; aliorū, quos enumerare lon-

longũ foret. Mosis quoq; laudes cumulare ui-
detur, q̃ prędicatur sapiẽtia & literis Ægyptio
rũ traditus fuisse. Sic autẽ Israëliticus populus
in Ægy. uersatus est annis CCX. ut retineret ser-
monẽ uernaculum, & intelligeret Ægyptiorũ
quædã propria, quæ Moses libris diuinis inse-
ruit, uelut צפרדע, q̊d ranã interp̃tant̃, & צפנת
פענח. Inde auspicijs diuinis egressi pepulerunt
sedibus gẽtes Chananaicas in Asia, & sedes A-
brahę p̄missas acceperũt, ut inde lingua Hebrę
orũ dicat̃ etiã in Esa. lingua Chanaã. Et ab eo tẽ
pore Iudæorũ res inclaruerunt toto in orbe, ac
omnibus negotijs, bello, fœderibus, societatib.
affinitatibus, cõmercio deniq; reliquo uitæ, im
plicitę sunt, eoq; libris scriptorũ inditę q gentiũ
um earũ memorabilia cõsignarunt. Dauid rex
dilatato impio usq; ad Euphratẽ tributa genti-
bus imposuit, & leges dedit, & amicitiã cũ rege
Tyrio instituit diutissimè conseruatã. Habuit
aũt gẽs Sidonia & Tyria omnibus tẽporibus
eximios scriptores, è quibus Iosephus bonam
partẽ suæ doctrinæ accepit. Salomon autem pa
tri succedens in regno totius orbis oculos in se
conuertit fama sapientiæ & fœlicitatis. Ad quẽ
ueniẽs regina Meroës, quę insula tũ dicebatur
Saba, sine interp̃te cũ eo perhumaniter philo-
sophata est. Post mortẽ Salomonis diuiso re-
gno inter Hieroboã & Ieroboã, partitis studijs
sua retinẽdi, & amplificandi, exterarũ gentiũ fa

 uore,

uore, ſocietate, fœderibus, religionibus per an-
nos CCLX, mutuū attriti ſunt, donec regnum
Iſraëliticū quod decem tribus continebat, fun-
ditus deletum eſt, & miſeræ quædam reliquiæ
paſſim per imperium Aſſyrium diſſipatæ ſunt.
Breui poſt Senacherib cœlitus ꝓfligato ad mœ
nia Hieruſalē, Merodach rex Babylonis, cuius
opes infirmiores erant, Ezechiæ amicitiam per
legatos impetrans, inimicitiæ capitalis ſemina
ſparſit, & poſt annos CXX. circiter etiā regnū
Iuda & Beniamin radicitus euerteretur, modi-
cæq́ꝫ reliquiæ in Chaldæā tranſponerētur. Vbi
ſi ſpectes ærumnas & calamitatē afflictæ gentis,
actū eſſe de lingua & gente uniuerſa dices: Sin
uero conſideres euentū diſperſi populi per ma-
ximam partem habitati orbis, intelligas planiſ-
ſimè deum non habuiſſe in conſilio excidionē
Iudaicæ literaturæ & religionis, ſed amplifica-
tionē: non tam ultionem peccati, quàm ſui no-
minis glorificationē. Quia populus dei per fla-
gella emendatus eſt, & prophetarū ope non ca-
ruit. Mardocheus uero inſigni uirtute prȩditus
in regno Aſueri apud Medos faſces imperij ob
tinens, diuinæ maieſtatis rationem præcipuam
habuit. Daniel in ſummo fuit honore apud Na
buchod. qui princeps ſingulari dei prouiden-
tia ſeruatis in fornace tribus martyribus ab ido-
lorum ſuperſtitione ad unius dei agnitionē at-
que confeſſionē perductus, edicto honorificen
tiſſimo

tiſſimo ueri dei culturã per uniuerſum imperiũ ſuum præcepit. Idem in Medis à Dario, idem à Cyro factum eſt, & memoria Iudaicarũ rerum annalibus Aſſyriorũ, Chaldæorũ, & Perſarum inſinuata eſt. Cæterũ euolutis annis LXX fatalibus à capto Iechonia, Cyrus intelligens, quòd Hebræorũ uates & nomen ſuum edixiſſent iam olim, & totius orbis monarchiam, quodq́ ſoluturus eſſet captiuitatẽ Iſraëliticæ gentis impulſu diuino domum remiſit Iudæos duce Zorobabel & Ieſu pontifice olympiadis 55. initio, ut templum & urbem inſtaurarẽt. Mox inſecutus eſt Eſras legis diuinæ conſultiſſimus, omnisq́ bonæ eruditionis antiſtes, & imperante Dario Hyſtaſpis filio, inſecutus eſt eos Nehemias, qui urbem reſtituit, Eſra etiamnũ ſuperſtite, & docente. Quod tempus ſeptuaginta duorũ annorum, fabulis ſcriptorum mirificè contaminatũ eſt, & quę diſſimulari nullo pacto debeãt. Nam iſtis tẽporibus Iudæi tradunt conueniſſe בנסת גדולה synagogã magnã, utq́ loquuntur noſtri, celebratum eſſe generale concilum, cui præſedit Eſras, & habuit adiutores tum alijs dotibus ornatos uiros, tum ſingulos ſeptuaginta linguarũ peritos. Quorſum obſecro tot linguarũ? Illi, ut Iudęi aiunt, ſcripſerũt librum Ezechielis, & Danielis, & duodecim prophetarũ, & Eſther. Vel ipſi libri hoc falſum eſſe redarguũt. Vt enĩ nihil dicã de Daniele, & Ezechiele, & Eſther, nónne

Haggeus & Zacharias, & quem Esdram scri=
psisse quidam putant, Malachias interfuerunt
comitijs? Ex eadem Iudęorũ temeritate opinor
natam esse & ad nostros transfusam traditionẽ,
ꝙ sacros libros in captiuitate collapsos & perdi
tos memoria unius Esræ reparauerit. Audiue=
rant enim homines nostri, & nimium simplices
atq; creduli uerum esse putauerunt, de amplitu=
dine ingenij & eruditionis Esræ. Vt est ea gens
immodica iactatrix suorũ, & in hac parte Græ=
cis aliquãdo uanior, Sed quàm periculosè illud
asseritur? Quis non uidet tentari, & labefactari
authoritatem scripturarũ, quibus debetur sum=
ma ueneratio? Non enim legeremus nunc Esa=
iam, Salomonẽ, Dauidem, Mosen, Iob, & alios,
sed qđ unius hominis memoria potuisset sup=
peditare. Non haberemus consensum prophe=
tiæ Hebraicæ, uel potius diuinæ per tot secula:
sed angustia unius ingenij, esto excellentissimi,
unius tamen omnem scripturã canonicam ter=
minaret. Sed quomodo libri sunt emissi? quis
regum persecutus est? quis incendio, & ferro
extinguere uoluit? Nabuchodonosor enĩ prin
ceps fortissimus, & sapientissimus, & religiosis=
simus, quanquam ex praua institutione princi=
pio falsorum deorum superstitione obnoxius
fuit, non tamen bellum gerere cum libris uoluit,
qui uasa etiam templi Hierosolymitani conse=
crat in fano Beli. Atq; is in fidem recipiẽs Iecho=
niam,

niam, qui se ad uerbi diuini iussum tradebat, nõ aduersatus est, quin monimenta sacra & politica secum deferrent in Babyloniam, totaq; nobilitas regni cum principe abiens preciosissimas opes, & quarum usu non possent carere, ut lectione saltem diuinorũ scriptorum consolarentur exilium, domi relinquere non uoluerunt ijs, quos merito ut impios, & prophetis immorigeros iudicabant. Scilicet Daniel & socij eius de semine regio, sine libris diuinis se abduci à patria passi sunt. Nónne Daniel legit Hieremiam? Nónne Cyrus cognouit in prophetia Esaiæ nomen suum contineri? Nónne Esaias consolationẽ ad captiuos in Babylone, quæ est à capite quadragesimo ad 49. præparauit, qua in fide unius dei continerẽtur Iudæi, & non desciscerent ad Chaldaismũ? Nónne Hieremias epistolã quæ est cap. 29. 30. 31. misit in Babyloniam ad captiuos per legatos Zedeciæ, itemq; uaticinium aduersus Babylonicum regnum, quod est 50. & 51. capite? Ipse Nabuch. eruditioni & ingenijs honorẽ habens maximũ, pueros Iudæorum liberaliter instituí curauit, & populo captiuo aliquã remp. & iudicia, & cœtus in suo imperio permisit, & toties perfidia Zedeciæ irritatus, seueritatem potius quàm crudelitatem exhibuit. Qui etiam Heremiam diligentissimè commendat primario duci Nabuzardan, qui prophetam tractat perhumaniter,

& do-

& doctrinam probat amplo eulogio, ut non dux hoſtium, ſed pręco & encomiaſtes Hebrai cæ philoſophiæ uideri queat. Duo autem de illa ſynodo celeberrima feruntur à Iudęis in fabulas inanes peruerſa, quę rectiſſimè prodiderat antiquitas, niſi ſtupidi aut maligni acceſſiſſent interpretes. Nam in eo concilio uiros collocant, quos non uixiſſe ratio temporum, & hiſtorię teſtatiores conuincunt: Hieremiam, Baruch, Danielem, Mardochęum. Deinde arcanam quandam expoſitionem legis deuolutam eſſe in iſtud concilium, quam Eſdras tradiderit Symeoni pontifici, à quo per manus tradita ſit conditoribus Thalmudicę cõpoſitionis. Quã doctrinam uocant תורת בעלפה legem uiua uoce traditã, & קבלה perceptionẽ, & מסורת traditionem, quę ſunt correlatiua, ut in ſcholis uocantur. Nam quod pręceptor tradit, id excipit diſcipulus. Ad quę dictata magiſtrorũ ponũt ſcholia etiã caſtigatę & emendatę lectionis, quæ precipuè cenſentur nomine מסורת. Lex autem ſcripta uocatur תורת בכתב. De qua re dicam, quod ueriſſimum uidebitur. Sęculum Eſdrę fuiſſe imprimis doctum, & hominibus diuinis ornatiſſimum arguunt literarum monimenta, uelut prophetia Zacharię, Haggei, & eius qui Malachiam inſcripſit doctrinam ſuã, & pręcipuè hiſtoria Eſdrę atq; Nehemię, quę meminit ducis Zorobabel, per quem Chriſti genea-

genealogia contexitur, & typum seruatoris ge- rit, sicut & Iesus pontifex eius tẽporis. De ipso Esra autem quid attinet dicere, cum scripta sacra testentur fuisse scribam uelocem, hoc est, prom- ptissimũ & exercitatissimũ in scripturis, quiq; posset omnes quæstiones nullo negotio solue- re? Quantum uero studium fuerit reformandi mores & instaurandi religionem atq; politiam ab omni parte, historia satis testatur. Et postula bat tempus, ut periti rerum diuinarũ conueni- rent, ac de summa religionis grauiter consulta rent, eaq; decernerẽt, quæ non modo suo seculo prodessent, uerũ etiam iuuarent omnem posteri tatem. Primũ igitur necesse fuit exactissimo iu- dicio de scriptis cognoscere, quæ pondus fidei habeant, quorumq; sententia & testimonio fini rentur omnes controuersiæ religionis. Itaq; de fidei doctrina, & canone constituendo, pij uiri consultantes, omnibus libris in iudicium addu ctis, qui uersabantur inter manus hominũ ceu diuini & oraculares, quosdam repererunt, ut dispersio gentis hominibus impostoribus ma- gnam prębuit occasionẽ supposititia quædã ut ψευδεπίγραφα inter simplices uenditandi, uene- nata doctrina refertos & in solidũ reijciendos. Qualis fuit prophetia Eldad & Medad, qualis reuelatio Heliæ, & alia multa. Quosdam dubiæ fidei repererũt, qui etsi per omnia probari non possent, habẽt tamen multa lectu non indigna,

& qui ab eruditioribus ac iudicio ualentibus lecti eruditionem augerent, eosq; in medium reliquerūt doctis legendos, uerum cum iudicio, ut pertinentia ad salutarem doctrinam decerperēt ac prudenter accōmodarent. Qualis censeri potest is, cuius meminit Hieron. etiā in profectionibus Iraēlitarū, μικρογένεσις. Quosdam repererunt optimæ notæ scriptores, & de quorū fide nefas sit dubitare: quiq; regulæ & amussis uicē teneant in examinādis omnium scriptis, dictis, spiritu, uita, legibus, imperio, omnibus deniq; negotijs, quæ illa parte attingunt religionē. Ita fuerunt in eo concilio non tantum Esras, Haggeus, Zacharias, Iesus, Zorobabel, uerum etiam Mardochęus præcipua pars historiæ Esther, & Daniel, & Hieremias, & Baruch, Ezechiel, Esaias, Samuel, Moses, Iob, & reliqui, non utique corpore, sed spiritu, quippe quorum scripta & sententiæ, ut sacræ atq; sanctæ ab ecclesia dei per sanctum spiritum congregata sunt agnitę & receptæ. In quibusdā & modus adhibitus est, & subducta ratione ad populi totius utilitatē, non necessaria sunt adempta. Quod in regum annalibus accidisse arbitror, quos Hebręi uocāt uerba dierū seu chronica. Ex quibus libri Samuelis, & regum aptissimo compendio traditi sunt uulgo erudiēdo: pleni annales eruditorū lectioni seruati sunt, quos tēporibus Herodis etiam num extitisse, colligere possumus ex historia Eusebij

Eusebij. Quemadmodum Florus epitomen quidem Liuij edidit, uerum nō Liuium excussurus è manibus hominum studiosorū, cuius beneficio seruata est bona pars luculentissimi scriptoris. Idem in duodecim prophetis accidisse uel primus Osee testatur, ita quidem mutilatus, ut tamen uniuersam pietatis ueræ doctrinam contineat. Verum enimuero non sat fuit examinare libros, & Canonicam scripturam populo dei tradere, nisi adiungeretur certa ratio exponēdi scriptores authenticos. Quum enim scripta finita esse conueniat, res autem hominum infinitæ sint, & aliud seculum, alij mores, aliud sermonis genus postulare uideantur, concilium explicationi scripturarum breuissimo & æquissimo decreto modum statuit, non alia differentia distinguens à lege scripta, quàm quòd sit, lex ore pronunciata. Placuit enim spiritui sancto, qui egit illos homines diuinos, ut scripta quidem canonica non proferantur nudè in concionibus sacris, & instituenda religione, sed aptentur locis, temporibus, personis, rebus. Quod non permittitur interpretis affectibus, & audaciæ quidlibet fingendi ex quolibet, sed prudentiæ & religion, quæ omnia referunt ad dei gloriam, & ædificationē ecclesiæ. Cuius norma certissima fuerit, si expositio cum scripto cōcinat, utq; August. & alij ex nostris eloquuntur, si

tur, si nihil afferatur, quod non probari possit ex scripturis canonicis, nihil obtrudatur scriptis Dei oraculis, quod genuino sensu non in eis contineatur. Atque illud ipsum Paulus praescribit iubens ὀρθοτομεῖν λόγον τοῦ θεοῦ, rectè secare domini sermonem, & dimensum cibum dare seruis in suo tempore. Id autē inde à Mose, usque ad Esræ tempora obseruatum est, & in eum usum diuino iussu scholæ institutæ, in quibus à puero assuescerent religioni docendæ destinati, aptæ illam tradere, & conuenienter. Vnde Iosue principi non postrema cura fuit Leuiticum ordinem tueri. Idem fecit Samuel, idem Dauid, Solomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias: Idem Helias, Heliseus, Hieremias, qui Nazaræorum meminit etiam in elegiaco super capta urbe, quòd adolescentes religioni & liberali doctrinæ mancipati, calamitates pereuntis patriæ etiam senserint. Eiusque rei procurationē Esras rectè commisit pontifici Simeoni, quo per successionem res imprimis utilis & necessaria ecclesię, aut si mauis, synagogę, tradatur. Porrò quia ueteres prodiderunt Esram unà cum alijs in synodo sanxisse modum legendi & explicandi scripturas canonicas, idque in alienam sententiam traxerunt posteri, factum esse opinor, ut aliqui Iudæorum asserant tum primum excogitatos apices uocalium & prosodias, quæ uocantur תגין. Et quod Eusebius atque Hieronymus

nymus forsan à Iudæis persuasi tradiderunt,
Esram tradidisse literas Assyrias populo Iudęo
rum, ueteres autem characteres esse, quibus Sa-
maritani utuntur. De quo disputare, ad alium
locum pertinet. Tantum mihi uelim conside-
rent eius opinionis astipulatores, quomodo
potuerit Esras mutare scripturã in populo Dei,
qua Deus legem suis digitis exarauerat, aut
quomodo uoluerit, qui non patitur, ut pueri
loquantur Asdodica, & Amonitica, & Moabi
tica dialecto. Non quòd uetus Amonitarum
& Moabitarum sermo diuersus fuerit ab He-
bræo, sed quòd diuersum habuerint tum ser-
monem ab Hebræis, qui successerant in locum
Amonitarum & Moabitarum, & dicebantur
Amonitæ & Moabitæ, ut Samaritani, qui Sa-
mariam incolebant, quum essent Cuthæi, &
Medi, & ex alijs regionibus orientis collecti.
Non competit igitur uel Esræ, uel Nehemiæ,
uel alijs hominibus sanctissimis eius tempo-
ris, quòd characteres patriæ linguæ, aut sermo-
nẽ aboleri uoluerint. Tametsi populus optimè
callebat Syriacum sermonem, cui assueuerat in
Chaldæa per annos septuaginta. Post mortem
uerò seniorum, qui ex captiuitate Babylonica
regressi populum in officio pietatis retinuerũt,
mox in deterius labi cœpit res Iudaica, quem-
admodũ euenit in ascensu de Ægypto. Quãdiu
enim Iosue uixit, & seniores, qui unà cũ Mose

populum gubernauerant, uiguit religio & san ctimonia inter Israelitas. Illis aũt morte subdu- ctis, accepit uulgus occasionem ad lasciuiam & religionẽ peruersam, quæ corruptis & deprauatis animis congrueret. Quũ igitur Xerxe filio Darij bellum Græciæ inferente Græcorũ uirtus admirabilis emicuisset, eruditioq; & eloquẽtia gentis, quæ philosophiã & omnes artes iam expoliuerat, æmulanda omnibus uiderentur, inclinauit etiã studiũ linguæ Hebraicæ apud Iudæos, ut populo cõcederetur usus Syriaci sermonis, docti operã darẽt, qui Græcè loquerentur: de scriptis aũt Hebraicis iudicare possent, & sensũ eorũ uernaculo sermõe reddere. Quod studiũ intẽtius fuit occupato imperio Asiæ per Alexandrum Macedonẽ, & Iudæis in ditionẽ Macedonũ redactis. Vnde fuit tanta copia seniorũ inter Iudæos, qui Græcas literas scirent: ut uno tẽpore LXXII in Ægyptum ab Eliazaro pontifice missi scripturas de lingua Hebræa in Græcum eloquium transferrent in gratiam Ptolemæi Philadelphi. Ex quo tempore rarus fuit homo eruditus inter Iudæos etiam, qui nõ mallet Græcè quàm Hebraicè scribere. Tantũque fastidiũ cepit eos rerũ patriarũ, ut sub tẽpora Machabęorum pontifices quoq; non Iesus sed Iasones, non Onię sed Menelai uocari expeterent: ab Antiocho etiam tyranno peterent Hierosolymis institui gymnasia Græco more.

Quan-

Quanquam ſunt, qui teſtentur Ieſum filium Si rach nepotem Ieſu unius é ſeptuaginta inter= pretibus fuiſſe, & Hebraico ſermone librum ſcriptum reliquiſſe. De quo tamen etiam iudęi ſcriptum reliquerunt, quòd ſacros libros uni= uerſos in Ægyp. ex ſeptua. interpretatione lege rit. Tempus, quo hiſtoria Paralipomenon e= dita, & canonicis ſcriptoribus adiecta ſit, non poſſum ꝓ certo indicare. Suſpicor aũt poſt An tiochi perſecutionẽ, qui ſęuierat in libros diui= nos, abbreuiatorẽ ex annalibus regũ epitomen excerpſiſſe, pręmiſſis genealogijs ab Adam uſ= que, & additis quibuſdam generi Dauidico, ut continẽs tẽporum ſeries haberetur uulgò uſꝗ ad ſua tempora. Machabęi autẽ nõ conati ſunt patriũ ſermonẽ reuocare in uſum populi, q ſo cietates & fœdera iunxerũt cũ Spartanis & Ro manis, ad quarũ gentiũ cõmercia opus fuit peri tia ſermonis Gręci. Maiuſꝗ ſtudiũ glorię & o= pũ in proceribus inde perſpicitur, quàm religi= onis. Sub aduẽtum uerò ſeruatoris noſtri Meſ= ſię prodierũt duæ familiæ in religionis dogma tibus pugnantiſſimæ, domus Hillel, & domus Samai, & ſectæ Phariſæorum, Eſſenorum, Sa= ducæorum, quorum hi tam peruerſe iudica= runt de ſcriptis ſanctis, ut omnes præter unum Moſen damnarent. Diſcipulus Hillelis fuit Io nathan ben Vzielis, qui libros ſacros in Syria= cum ſermonem conuertit, eam interpretationẽ

deo

deo in tantum probante, ut muſcam obſtrepen tem ſcriptori Ionathę flamen cœleſtis abegerit. Poſt eum & Onkelos ſcripturas in Syriacã linguam tranſtulit, quem Titi nepotem ex ſorore Iudæi credunt. Sed quàm eruditum fuerit ſeculum iſtud ſatis arguit Nicodemus legiſperitus, qui pueriliter apud dominũ balbutit de rebus maximis. Dominus quoq; ſubinde arguit ſcribas & phariſæos, & Saducęos magnæ inſcitiæ. Proin uidentes ſe premi ſcripturis, cœperũt diligentius ueterum ſcriptis rurſum incumbere, non ut uerum diſcerent, ſed ut teſtimonio legis & prophetarũ exiſtimaretur niti eorũ ad quæſtum & ambitionẽ compoſita doctrina. Hinc adoleſcens Paulus Tarſenſis in ſchola Hieroſolymorum ad oppugnationem fidei Chriſtianæ armatus, in ſcripturis quidem euaſit exercitatiſſimus, uerũ nihil aliud ſpirans quàm minas & cædes Chriſtianorũ, donec ui cœleſti ad defenſionem Chriſtiani nominis conuerſus eſt. Eaq; contentio Iudæorũ cum Chriſtianis de peritia ſcripturarũ uſqueadeo inualuit, ut temporibus diui Hieronymi periculo magno conſtaret docere Chriſtianũ. Cæterũ ſentientes Chriſtianorum uires creſcere, ſe indies infirmiores ad ſuſtinendum illas impreſſiones, inierunt conſilium patres circũciſi, quomodo aliquod fortalitium fidei, & inexpugnabile propugnaculum oppo nant Chriſtianis. Placuitq; conſarcinare opus

uaſtum

uaſtum ex bonis quibuſdam ſententijs maio-rum, & impijs cõmentis, quibus infelicem po-pulum detinerent in ſuperſtitione, ac tuerentur auaritiam, ſuperbiam, opinionem eruditionis & in ſumma tyrannidem in dementatos homi-nes. Et quantũ mihi licet iudicare ex capitibus codicis Thalmudici, & parte Hieroſolymitani thalmud lecta, quantũ ex fide dignorum homi nũ relatione, qui multũ operę impenderũt, ſpe-culũ doctrinale Vincẽtij dicas, niſi quòd Vin-centius multò eſt utilior lectu. Verum quia Pi-cus Mirandulanus admirari uidetur Iudęorũ Th almudicam compoſitionẽ, tanto ingenio uir, ꝗ peruerſiſſima quæuis potuiſſet in aliquẽ uſum bonum trahere, idq; ſecutus uidetur Pe-trus Galatinus, & alij quidã noſtrorũ: Appo-nã Galatini iudiciũ ex 1. lib. 5. cap. Anno CXX. inquit, à ſecundi tẽpli incẽdio Rabi Iudas Ha-cados filius Simeonis Iudaicæ ſynodi decreto legis & prophetarũ explanationes & ſcripta o-mnia, quæ cæteri doctores ante & poſt Chriſti aduentũ hactenus ſcripſerant, in unũ uolumen cõplexus eſt, quod משנה miſna, id eſt, iteratã lectionẽ nuncupauit. Anno CCC. Rabi Ioha-nan aſſumpto R. Samuele ipſum miſna & alia, Thalmud Hieroſolymitanum. Anno CCCC XXXVI. R. Aſſe cũ Rabina omnes ſuperiorum ſcripturas in unũ redigens, thalmud Babyloni cũ cõtexuit, quæ nunc tota Iudæorum regitur

ſynagoga. Morte autẽ præuentus non perfecit ipſe, ſed filius Mor cũ Mare mar, opus profectò tã diuina ac naturali, quàm politica & legali ſapientia undiq; plenum. Hactenus ille. Poſt annos mille quàm diſperſi ſunt per uniuerſum orbẽ capta & deſtructa urbe ab impatoribus Ro. artes grãmaticas cœperunt ſcribere, de quibus nõ eſt hic dicendi locus. Omniumq; Iudaicorũ ſcriptorũ libri uarijs dialectis referti ſunt, Hebrea, Syra, Arabica, Germanica, Grǫca, Latina Italica, Gallica, Hiſpanica, & qua nõ ? Hęc uerboſius cõmemorare placuit, ut liquidò appareat antiqtas, & prǫſtantia linguǫ Hebraicæ, utq; linguæ omniũ populorũ habeant cũ ea cognatione, & ut res Hebræorũ olim longè celeberrimæ uenerint in noticiã omniũ ſcriptorum. Et philophiam Græcorum atq; Latinorũ ab Hebræis fontibus defluxiſſe, tum alij ex noſtris, tũ Euſebius in libris de præparatione Euangelica, et Iuſtinus martyr, oſtendũt: copioſiſſimè uerò Aug. Steuchus, uir Hebraicæ linguæ, & Græcæ, & Romanæ impenſè doctus, in libris de perenni philoſophia. Ex quo perſpicuũ fit non modò Ioſephum, & Philonem doctiſſimos Iudæorũ, & in ſermone Grǫco eloquẽtiſſimos iuuare poſſe Chriſtianos ad linguæ ſanctæ peritiã conſequendã, ſed alios etiã tũ Chriſtianos, tũ ethnicos ſcriptores. Iuuant hiſtorici & geographi, uelut quum Plinius de Gadiris

Hiſpaniæ

Hispaniæ insula & Pœnorũ colonia, scribens monet גרר Phœnicibus sepẽ sonare. Et poëtarũ interptes admonẽt Carthaginẽ Pœnis dici nouã ciuitatẽ, ut Græci enunciant *καίπολιν*. Est aũt Carchedon factũ ex סיר חרש, id est, noua ciuitas uitio librariorũ *σ* in *ν* cõuerso apud Græcos, Carthago autẽ סרתא sonat altã & superbã urbẽ fatali nomine, quæ Romani imperij æmula pertinax fuit in suũ exitiũ. Quale organũ sit נבל Nablum, aut מצלתים sistra, melius poëtæ docent, quàm Rabini Iudæorum. Ex Græcis סיתרוס citharam, & סמפוניה symphoniam potius discas, quàm ex פירושים magistrorum. שבכא *σαμβύκη* quæ nam sit, quid שליש *τρίγωνον*, Athenæus in quarto, alijq; authores boni rectius docebunt q̃ Rabi Akiba, & Rabi Salomõ. De rebus physicis audiẽdi sunt physici, q plus eruditiõis conferẽt de partibus humani corporis, & morbis, de plãtis, lapidibus, metallis, animantibus, de cœlo, de syderibus, q̃ omnes Iudæorũ bibliothecę. Imprimis Arabici scriptores tũ astrologi, tũ medici hac in parte cõmodabũt, quę multis uidẽt in sermone Hebraico p̃cipuè mutilata. Vt igit tandẽ hunc locũ cõcludam, quoniã in scriptis Hebræorũ sacris nõ fit mẽtio rerũ fictarũ, qualia sunt multa in Poëtis, & hæreticorũ somnijs, sed quę existũt uerè, aut diuinarũ aut humanarũ, & quas nosse utile sit, & à multis pertractatæ sunt. Ipsiq; scripto-

res genere dicendi naturę consentaneo usi sunt, necq; hic metuēda sunt uerba, qualia quæ Vates Faunicq; canebant: Verbacq; cinctutis nō exaudita Cethegis, ut illi aiunt: Et ab omnis generis authoribus ferri opem intelligimus: Estq; magna ingenij humani uis, quod ubicunq; se intendit, ibi ualet plurimū, censeo in hominibus residere causas ignoratæ hactenus linguæ Hebraicæ. Quod si bonarū artium ac ueræ philosophiæ studiosi animum applicent ad cognoscendam, & explicādam linguam Hebraicam, & tempus sumant, quantum uni Homero, aut Platoni, aut Aristoteli, quantum Vergilio, aut Tullio impenditur, rectacq; uia insistant, efficietur breui tempore, ut eloquium propheticū cernatur esse planum, certum, stabile, cum naturæ præscriptis conueniens, & in hac parte Romanæ linguæ præferendum. De cuius mutationibus & abolitione meminerūt scriptores Latini, & Græci, & tamen quot sunt, qui absolutā eius notitiam sibi arrogent?

DE OFFICIO GRAMmatici Hebræi.

ARctissimam esse cōiunctionem rerum & uerborum, ita ut mutuū diuelli nequeant, fatetur sermo Hebraicus ad naturæ ductum, & ueritatis normam fabrefactus, qui eodem uerbo דָּבָר tam rem, quàm rei notationem repræsentat. Verbumq; dei dicitur ipsa rerum uerborumq;

rumq́ conuenientia, & ueritas, quum enunciatur esse, aut fuisse, aut euenturū, idq́ diuino iudicio, quod existit in rerum natura. Et שם nomen dei est uniuersum istud, quod de infinita maiestate certè ueréq́ pronūciatur. Itaq́ rationis & orationis propinquitatem eadem appellatione Hebræi notant, quibus דבר tam cogitare, quàm loqui intelligitur. Est enim ratio, & facultas animi omnia reputans, & rerum inter ipsas comparatio: sermo autem uerborum connexio, quæ rationis & naturæ legibus dirigitur optimè. Quemadmodum & Græci homines acutissimi λόγον dicunt rationē, & rationis quasi explicationē & defluxum, ut Democritus finiebat, orationē, ῥεῦμα λόγου: unde & ῥήματα uerba dicuntur. Artes autē λογικὰς appellant grammaticā, dialecticam, oratoriam, tum rationales, tum sermocionales, quippe quibus rationis & orationis uirtutes continentur. Neq́ fuit quisquam apud Græcos, aut Romanos, aut alios populos bene dicendi laudē assecutus, qui non excelleret notitia rerum. Et rursum uiri præstantes, qui uel rerum naturā penitus scrutati sunt, uel in uitę & morū cultura studium posuerunt, uel ciuitates bonis legibus instituerūt, sermonis fueruntobseruantissimi, & de uerborū significatione disputarunt, & præcepta rectissimè cogitādi, ac bene dicendi omnibus de rebus tradiderūt. Veteresq́ theologi Origenes, Eusebius,

Gregorius, Athanasius, Chrysostomus, Didy-
nus, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Hi-
eronymus, Augustinus, Ambrosius, Beda, &
alij complures, non quidē titulati, formati, bul-
lati, caputiati, cucullati, addo etiam nō subtiles,
& illuminati: animaduertuntur tamen in scrip-
turæ sanctæ explanationibus, & in omni dispu
tatione de rebus theologicis egregiam scientiā
uerborum cum rerum noticia copulasse. Quo
circa ut dialectices, & rhetorices, ita & grāmati-
ci nominis ambitus latissimè extenditur. Non
enim prima duntaxat rudimēta līguarum scire
debet grāmaticus de orthographia, et prosodia,
de inflectione uocū, de structura, in qbus regu-
læ emēdatè scribendi & loquēdi uersantur, neq;
significata uerborū perfunctoriè, ut aiunt anno
tare, ut uerbi gratia: Senecio an herbā significet,
an senio confectum hominem, an saliuam, an a-
liud quippiā. Sed hæc omnia exactè nouisse de-
bet, ita ut possit rationem de singulis reddere, si
usu ueniat. Nō ignorare debet uitia, quæ sermo
nis integritatē corumpunt, atq; deformant, uel
in tota dictione, quæ barbaralexis uocat̃, uel in
dictionū affectione, qui barbarismus dicit̃, uel
in duarū aut pluriū cōsertione, qui solœcismus
nominatur: Et quatenus illa ferenda sint, quū
adhibētur modestè & cum ratione. Eius quoq;
fidei & curę mandata est conseruatio sermonis,
uelut monetæ publicæ, ut statuat, quid uulgo
rectè

rectè concedatur, quid artium liberaliũ, & philosophiæ professoribus, utq; accuset, redarguat, damnationi iustæ subdat homines uiolentos, qui cõtemptis legibus rationis & orationis publicum sermonẽ audent corrũpere, noua quædam portenta uerborũ dolo malo introducentes, & quæ sunt recepta, & proba, abolentes, & relictis maius minúsue precium, & alienã æstimationẽ obtendentes: Vt deprauata, interuersaq;, & per negligentiã aut uiolentiã quorundã perdita in integrum restituat. Aduocãtur etiam Grãmatici ad honorariam functionẽ interpretandi poëtas, & oratores, & historias, & philosophiæ preceptores, & ius ciuile, deniq; arcanos libros, quibus pontificum disciplina, & ritus sacrorum, normaq; benè & beatè uiuendi continentur. Quales fuerũt apud Græcos Iulius Pollux, Athenęus, Apollonius, Eustathius, Vlpianus, Ioannes cognomento Grãmaticus, quales apud Latinos Aul. Gellius, Macrobius, Priscianus, Victorinus, Donatus, Seruius, homines undequaq; doctissimi. Qualis Origenes & alij multi Græcorum theologorũ, qui etiam grammaticis titulis quædã opera inscripserũt. Qualis Hieronymus Stridonensis, qui in cõmentarijs prophetarũ subinde muneris sui esse profitetur, literã edisserere, de sermonis proprietate disputare, historiã exponere, mentem scriptoris prodere: Inde quod scriptũ est, ad erudiendos

animos,

animos, & uitã informandam accommodare. Quanquam uerò nec eo ingenio sim, nec erudi tione, ut in ueterum grammaticorum amplissimum ordinem ingerere me debeam, non tamẽ uitio mihi uertẽdum esse puto, si de lingua Hebraica libellos grãmaticos inter tot scriptores, edo pariter, Iudęos & Christianos, qui ab adolescentia literis Hebraicis operã dedi, & aliquousq; progressum uiri iudicio de hisce rebus prędititi existimant, legesq; Christi domini nostri non modò permittunt, sed iubent etiam charisma creditum alijs communicare ad ecclesiæ ędificationem. Et in academijs sine ambitione ulla grãmaticis adscriptus sum ab ijs, qui ius hac in re habuerunt cooptandi. Quos Latini etiã Græco nomine appellare maluerunt grammaticos, quàm literatos & literatores, Hebræi סופרים uocant, quòd eorum scientia & facultas in libris & literis tota uersetur. Græcisq; interpretibus in Esaia γραμματικός dicitur, qui prophetiæ סופר nominatur. Quorum alij partita professione מדקדקים à subtili animaduersione, & solertia penitiorem uim linguæ aperiendi uocantur, alij מפרשים scriptorum enarratores: & earum artes, דקדוק grammaticæ pars ἑρισική & κανονική, quæ præcepta orthographiæ, prosodiæ, & analogiæ prosequitur, & פירוש ἐξήγησις, id est, cõmentatio seu enarratio. De quibus ordine dicã, primumq; de canonica parte.

QVIBVS

QVIBVS IN REBVS IDIOMA Hebraicum sit positum.

Ιδίωμα linguæ dici loquẽdi formulam, quæ ex uerborũ structura nascitur, uideo placere ueteribus quibusdam grãmaticis, ut quod Græci dicũt ἕπομαί σοι, Latini sequor te. Et Attica phrasis dicitur μάχομαι μάχην pugno pugnam. Sed latius rem patere tum ratione animaduertĩ, tum authoritate comprobatur. Nam Ioannes Grãmaticus, qui de Græcorum dialectis scripsit, uel in tota collocat dictione linguarũ differentiam, ut quod Iones dicunt κάρτα, reliqui Greci λίαν, uel in dictionis parte, ut Aeoles βρόδα dicunt, reliqui. Græcorum ῥόδα: uel affectione uocis, aut passionibus, ut Dores παντᾶς circunflexo tono efferunt, quod alij graui tono πάντως. Augustinus etiam inter locutiones enumerat singularũ dictionum proprietatem. Et Hieronymus dicit נביא iuxta Hebraicæ linguæ proprietatem non tam prophetam dei, quàm pseudoprophetam dici. Et Paulus Burgensis negat ח heth literam in nostra lingua exprimi posse. Igitur ut omniũ linguarum, ita & Hebraicæ linguæ uis, & proprietas, & elegantia, aut quæ contraria sunt uitia spectantur in dictionum partibus, hoc est, literis & elementis, uel in singulis uerbis, uel in complexione duarum aut plurium dictionum. Quę quidem genera rursum habent subiectas partes.

DE LITERIS ET VOCAlibus punctis.

HAbent linguę omnes proprium quiddam in dictionum elementis & simplicissimis uocibus, sicuti Hieronymus fatetur se Chaldęorum stridentia & anhelantia uerba magis intelligere posse, quàm sonare. Et Germanū aut Gallum facile internoscas eiusdem uerbi pronunciatione. Primum igitur est, ut singularū uocalium aut literarum proprium sonum quis teneat, deinde cum aliarum linguarū elemētis comparet, quarū saltem usus aliquis est præcipuus, ut cernatur, quæ uoces cōueniant, aut quæ discrepāt. Et Iudæos quidem non habere hodie natiuam pronunciationē, uel illud argumento est, quòd pluribus elementis eundem sonum tribuūt. Est etiam operæprecium audire iudicium Hieronymi de Iudæorum pronunciatione. Qui quū in cōmentarijs epistolę ad Titum fateatur propria nomina Hebr. plerunq; à nobis corruptè proferri, non tamen probare uidetur Iudæorum superstitionē. Sic enim scribit. Si à nobis hæc nominū & linguæ idiomata, ut uidelicet barbara non ita fuerint expressa, ut exprimūtur ab Hebręis, solent cachinnum attollere, & iurare, se penitus nescire, quod dicimus. Vnde & nobis cura fuit omnes ueteris legis libros de Cæsariensi bibliotheca descriptos ex ipsis authenticis emendare. Et paulo post: Vt non magnopere pertimescamus

mescamus supercilium Iudæorũ solutis labijs, & obtorta lingua, & stridente saliua, & rasa fau ce gaudentium. Hactenus Hieronymus, cuius consilio utentes Iudæorum pronunciationem morosam Iudęis relinquemus, & operam dabimus, ut singulorum elementorum propriã uocem teneamus, & potestatem, quod exactissimo uiro Quintiliano etiam in Latinis satis est. Ad quam rem utile fuerit coniungere finitimas uocales & literas: Quod etiam ad exactiorem notitiam antitheseos plurimum faciet.

VOCALES XII SVNT, QVAE apicibus ad literas appositis notantur.

Longæ אֹו אֵ אִי אֵי אָ אֻ
אֳ אֲ אֱ Breues אַ אֶ אִ אְ אֻ

Ex his cognatæ sono sunt longę & oppositæ breues. Nam kametz est a uergens ad o, patha a clarum. In alijs etiam similiter necessario differentia quędam constituitur, uelut inter zere, sægol, scheua, hateph scheua, hateph sægol. Sunt etiam cognatæ uocales ָ & וּ, ut קוּם & קָם. Item ֻ & וֹ & ֹ. Nec non zere & hirek. Scheua & cum eo composita ֲ & ֱ, uulgarem habent cum alijs omnibus amicitiam, & in eas permutantur uocales reliquæ. Ex quibus quatuor crebrius mutantur ָ & ַ & ֵ & וֹ, cum adiectione literarũ, & ex מֶלֶךְ fit מְלָכִים cum aptatione, ut ex נָתַן fit, הַבַּיִת וַיִּתֵּן.

LITERARVM XXII

cognatio.

Nota eſt Iudæorum diſtinctio, qua partiun tur literas per differentiam organorū uocis humanæ, ut aliæ ſint linguæ, aliæ gutturis, aliæ pa lati, aliæ labij, aliæ dentium. Verum ad ſonum germanum, aut natiuo proximū rectius depræ hendendum, itemq́ ad comparandas inter ſe dictiones aliarum linguarū, & ad totam grammatices obſeruationem illa non uidetur ineptior diſtinctio, quam ſubijciam.

ס ש ז צ	ת ט ד	ר נ מ ל	פ ב	ק כ ח ג	ע	א ה ו י
σ χ ζ ζ	θ τ δ	ρ ν μ λ	π β	κ γ		ι υ α
ſ ſch z z	th t d	r n m l	p b	q c g		i u h a

Habet etiam Vau conſonans uocem affinem literis בע; & iod conſonans literæ gimel. Et in Syriacis dictionibus, aliquando in Hebraicis quoq; ſpectantur ἀντίσοιχα elementa eſſe זד, & צט, & שת. Porrò literarum & uocalium additione, detractione, permutatione, tranſpoſitione peragitur omnis dictionū uariatio: Quę uel paragoge & analogica inflectio uocum exiſtit, uel metaplaſmus, uel barbariſmus. De quibus antequam ordine dico, uidetur literarum adiectitiarum, & deciduarum diuerſitas proponenda eſſe, ut arithmetici breui tabula numerorum ampliſſimam uim comprehendunt.

DIAGRAM

DIAGRAMMA LITERARVM SERVIlium, & deciduarum, quo & earum mixtura cum substantialibus ostenditur.

						א			א	אא	אֱ
									ב		
	תָן	תָם		תה		ת			ת	תה	תת
ות	ון					ו	ו	ו	ו		
ית	ין	ים			יָת	י	י	י	י	יה	נת
	כָן	כֶם	כִי			ך			כ		
									ל		
				מה		ם			מ	מה	מת
נִית			נִי	נה	נָת	ן			נ	נה	נת
									שׁ		
	תֶן	תֶם	תִי	תה		ת		ת	ת	תה	תת
Geminātur etiā literæ substantiales uel una, uel duæ.							ל	ע	פ		

Quoties litera geminatur uel in radice, uel etiā in literis additicijs ad finem, semel abijci potest, idq; frequēter fit.									
			א		א		א		
		ה	ה				ה	ה	
		ו		ו	ו	ו			
		י		י	י	י	י		
	ם	נ	נ		נ		נ	נ	ה

Superior pars tabulæ, atq; diagrammatis ostendit literarum substantialium & accidentalium μίξιν: quæ literæ aut syllabæ in principio,

 aut

aut fine, aut medio addantur literis, quibus origo & radix uocũ continetur. Inferior indicat literarũ radicaliũ & aduenticiarũ subtractionẽ, quæ & ipsa uaria est. Cæterũ tabella, quę literas Hebraicas, Græcas, Latinas inter se componit, maximè ostendit, quæ literæ mutuũ permutentur: Quẽ usum habet etiã uocalium oppositio. Nam certis legibus dirigitur uocũ transformatio, ut non quæuis litera in quãlibet mutari, aut quouis loco adĳci, abĳciue possit. Transpositio non potest eiusmodi typo cõprehendi, quæ et rarior est in sermone Israëlitico. In his, ut dixi spectatur barbarismus uitium sermonis, quũ enunciatione uel scripto pars dictionis corrumpitur contra legem sermonis, idq; addendo, detrahendo, permutando, transponendo. Quod scriptoribus Hebraicis minimè attribuendum est, qui nihil sine ratione optima fecerunt. Vt quum Esaias scribit לםרבה ponens figuram literæ mem in medio, quæ fini congruit, non leges orthographiæ temerè transilit, sed mysterium regni Christi literis deumbrat. Hieronymo autem uenia danda est, qui Hebræorum nomina barbara esse dicit, secutus consuetudinem Græcorum & Latinorum, qui barbarum uocant, quicquid suæ linguæ pomerio non cõtinetur. Metaplasmus autem dicitur, quũ id docti faciunt ratione metri, aut decoræ compositionis. Vt in illo Persiano: At pulchrum est digito

gito monstrari & dicier hic est. & syllaba in dicier adijcitur, & syllaba um, item i in monstrari legendo excluduntur. Analogia, ut Diomedes non malè definit, est sermonis à natura proditi ordinatio secundum τεχνικόν: Necq́ aliter barbaram linguã ab eruditis, quàm argentũ à plumbo dissipat. Multis & subtiliter Varro disputat de analogia, quæ nihil ad nos pertinent. Tantũ opus fuerit notare certam esse rationem formandi uerbum ex alio, ut פְּעֻלָּה ex פָּעַל, & similiter פְּעֻרָּה ex פָּעַר Sic תְּשׁוּבָה ex שׁוּב & תְּסוּפָה ex סוּף pari modo conformantur.

DE PRINCIPIIS ANALOGIAE Hebraicæ, à quibus ducitur uocum deriuatio, & inflexio, nec nõ thematum indago.

VT in omnibus linguis, ita etiam in Hebraica uoces quædam sunt principales, quas Iudęi grãmatici appellant שרשים radices, Gręci fermè θέματα, Latini primitiua & primogenia. Ex quibus alia propagantur deriuatione atq́ inflectione, quæ παράγωγα & παρώνυμα, & κλίσεις dicuntur Græcis, qui omnia diligentissimè pertractare uoluerunt, & nominibus distinguere. Origo uerbi & radix non sine arcano ternarij diuini, cuius potestate omnia cõsistunt, tribus literis notatur, quæ tũ radicales, tum fundamentales, tum substantiales

dicun-

dicuntur. Cui adduntur aliæ in principio, in medio, in fine, quæ dictionem transformant per omnia accidentia, de quibus ars grãmaticorum præcipit. Artis autem & omnium præceptionum exemplum uniuersale à Iudæis traditur aptissimè פָּעַל, quod ipsi משקל & עלס & מאזנים uocant, hoc est, librã & statheram, qua omnis uocum proportio expendatur. Græci & Latini ab ædificijs ducta metaphora uocant κάνονα, & regulam. Primaq; dictionis litera uocatur pe poal, media ain poal, ultima lamed poal, quæcunq; tandem fuerit: uelut in uerbo שמר, aut משמרת, schin uocatur pe poal, mem ain poal, res lamed poal. Quæ paucioribus quàm tribus literis substantialibus constant, unam uel duas flectendo amiserunt, ut דַע scito, ex יָדַע sciuit. Quæ pluribus, uel ex alijs facta sunt, ut נפלל ex נפל, & בלבל ex בול, & חמרמר ex חֲמַר: uel composita sunt, ut צַלְמָוֶת, uel exotica & peregrina sunt, ut צפירע Ægyptiorum uox, & קיתרוס κίθαρα Græcum nomen. Quæ si uidetur, uocetur sane barbaralexis, uel potius peregrinitas. Cæterum uox primitiua in facies multas transfiguratur, uel sola punctorum uocaliũ uariatione, ut שֹׁרֶשׁ radix שֵׁרֵשׁ eradicauit, uel punctorum pariter, & literarum additione, detractione, permutatione, transpositione unius aut plurium. ut ex נָגַשׁ fit גַּשׁ attingito, יִגַּשׁ attinget: ex שלמה fiet

שמלה ex ירה confessus est, formatur אור confitebor. Vbi unica litera substantialis relicta est.

Verum ut omnia distinctius & euidentius proponantur, dicam primo de functionibus & usu literarum seruilium & aduenticiarũ ad radicem, dein de literarum defectione, postea de punctatione, postremo de transpositione. Et aliquas literas, uel singulas, uel duas simul apponi origini uocis ab initio, aliquas in principio & fine, aliquas etiam in medio, id quidem patet oculorum sensui ex diagrãmate. Quod autem uim & proprietatẽ ipsorum spectat, sunt in triplici differentia. Nam aliæ sunt formatiuæ literę, utq; Gręci uocant, characteristicę, quæ schematismos uarios, & modificatiões dictionibus affingunt in uerborũ & nominum declinationibus. Semperq; radici proximæ adhærent, uel etiam infixæ sunt. Quæ memorię iuuandæ causa comprehenduntur uoce וְהֶאֱמַנְתִּי. Aliæ sunt pręposítiuæ, & peculiariter ab Hebraicis grammaticis dicuntur literæ השמוש id est, ministeriales seu administræ, nempe septem illæ מֹשֶׁה וְכָלֵב. Aliæ subiunctiuæ sunt: Quæ formę à nostris affixa & affixa ꝓnomina dicũtur, & cõsignificatiua. Hebręi appellant מלות dictiones & הֲכִנּוּיִם hoc est, indicatiuas particulas. Et hi duo ordines adiectitiarum literarum & syllabarũ tam seruilibus literis quàm substantialibus apponi solent. Suntq; factæ ex integris uocibus concisione literarum, ut cõmodius cum principio & fine aliarum uocum possint componi.

IAM FORMATIVARVM LITERARVM & syllabarũ officia perstringam. Nam in grãmaticis præceptis copiose illa explicata sunt.

ALeph א primam personam futuri, numeri singularis in omnibus formis seu speciebus efficit, ut אֶפְקוֹד uisitabo, אָסִיר remouebo. Producit etiam aliquot deriuatiua nomina, ut אורה laurus. In fine κατὰ παραγωγὴν adijcitur, ut אבוא uoluerunt, pro אָבוּ : & אתיקיתא pro אתקית in Ezech. Quod Chaldaico sermoni familiare est. Ex aleph syllabæ formatiuæ sunt, ut אוּפְקַד uisitabor, א אֶתְעַנַּג meipsum oblectabo.

He ה principio addita format aliquot uerborũ species הִפְעִיל, effecit, ut alius ageret: הֻפְקַד factus est uisitari: הִפָּקֵד pro הִנְפָּקֵד custodire & custodiri imperatiuum & infinitiuum passiuum. Format etiam nomina, idq; frequentius in Syriaca lingua, ut הַכָּרָה agnitio. In fine ה adiectum frequentissime trãsformat uerba & nomina masculina in fœminina. ut פָּקְדָה. & פְּקוּדָה, & מוּפְקָדָה, & גְּדוֹלָה. Etiam nomina substantiua deflectit בְּרָכָה benedictio. Motum quoq; ad locum aut personã significat חוּצָה foras, שָׁמַיְמָה ad cœlum, הֵנָּה huc. Additur otiose שׁוּבָה reuertere, אֶשְׂמְחָה lętabor. Vt autem pro uau ponitur, ad permutationẽ literarum pertinet, ut שָׁפְכָה effusi sunt. Syllabæ ex hæ, istæ sunt הוּפְקַד factus est uisitare, הוּקַם erectus est, הִתְפַּקֵד sese uisitauit.

Vau ו in principio thematis non aliter seruit, quàm

quàm facta ex iod, ut הוֹשִׁיב collocauit, ex יָשַׁב & מוּסָר disciplina ex יָסַר. Post primam radicis, uerbi affectiones & nominis affert, ut פּוֹעֵל agens, סוֹגָר conclusio, בּוֹנֵן extruxit, ex בּוֹן. Et post secundam originis literã פָּעוּל factus, אֶפְקוֹד uisitabo, פְּקוֹד uisita. In fine quoq; affingit aliquid uerbis, ut פָּקְדוּ uisitauerunt. etiam nomina producit, ut שָׁלֵו felix שלה ג. Syllabę autem sunt חָזוֹן uisum, צַלְמוֹן imaguncula, יִפְקְדוּן uisitabunt, מַלְכוּת regnũ, שְׁחַרוּת nigricies. Et in artibus usurpata sunt rabinis uocabula כְּמוּת quantitas, אֵיכוּת qualitas. Forma est pluralium fœmin. מְלָכוֹת reginę, & masculinorum quorundam, אָבוֹת patres.

Iod י themati prępositum fingit tertiam personam futuri temporis utriusq; numeri masculini generis, ut יִפְקוֹד uisitabit, יִפְקְדוּ uisitabunt. Format & nomina יַנְשׁוּת noctua יַעֲקוֹב supplantator. In medio radicis uerborum & nominũ characteristica est. הִפְקִיד fecit uisitare, הֵבִין fecit intelligere, נִצוֹץ flos, צַדִּיק iustus. In calce fœmina uerba producit imperatiui modi futuri temporis, ut פִּקְדִי uisita, תִּפְקְדִי uisitabis, הִפָּקְדִי uisitare fœm. Nomina quoque deriuat, ut נָקִי innocens & immunis, נָכְרִי alienus. Est & pluralis numeri terminatio masc. ablata litera mem, ut מַלְכֵי reges, ex מלכים. Adijcitur etiam otiose, ut אֲבוֹתֵינוּ patres nostri, יוֹשֶׁבֶת habitans. Syllabę ex iod istę sunt, יוּפְסַר fiet uisitari, יִתְפַּקֵּד. Item ית in fine, ut גְּלוּיָה reuelata, עֲשִׂירִית decima. ים terminatio est pluralis numeri masculi-

norum, מְלָכִים reges, & quorundam fœm. אֲבָנִים lapides: & dualis numeri, ut אַלְפַּיִם duo millia. Et ין pluralis numeri terminatio est Syriacę linguę celebrior, ut הִטִּין frumēta. Est & syllaba ית, ut שֵׁנִית secunda, עִבְרִית Hebręa.

Mem מ initio thematis addita fingit pronomina מְחוֹלֵל & מְסַקֵּר & מְבַקֵּר & מִפְקִיר, aliaq; multa. Est etiam infinitiui formatiua, id Syriaco sermoni familiarius, ut לְחוֹבִיח ad arguēdū. Format & nomina מִשְׁפָּט iudiciū, מִרְמָה dolus. Et in fine quanq̄ rarius שִׁלְשׁוֹם nudiustertius. Adijcitur aliquādo ex abundāti uelut in Esa. יְשׂוּשׂוּם lętabūtur. Syllabę seruiles ex eo sunt מִתְפַּקֵּר & מוּפְקָר.

Nun נ ab initio formatiua est primę personę futuri temporis numeri pluralis נִפְקוֹד uisitabimus, & passiuorū, נִפְעַל factus est, נִפְעָל, qui fit, נִשְׁלוֹחַ dimitti. Nomina quoq; format sed pauca, ut נוֹשִׁיעַ seruator. Ad finem radicis posita, protrahit nomina, ut שֻׁלְחָן mensa, רַעֲנָן floridus. Additur & ociose pereundo, בְּאָבְדָן יִשְׁמְרוּן custodient, תַּעֲשִׂין facies fœm. יְלַבְּרֶנְנוּ capiēt eum. Syllabę sunt נִפְקַר & נִתְפַּקֵּר. Et in fine תִּפְקֹרְנָה & פְּקוֹרְנָה. Item in nominibus בִּשְׁנָה confusio, רִאשׁוֹנָה prima, אֲחוֹרַנִּית retrorsum.

Thau ת apposita principio thematis uerbi personas futuri tēporis affingit, ut תִּפְקוֹר uisitabis mas. & uisitabit fœmi. תִּפְקְרִי uisitabis fœm. תִּפְקְרוּ uisitabitis mares תִּפְקוֹרְנָה uisitabitis & uisitabūt fœm. Format etiam nomina, ut תּוֹרָה lex, & תַּרְבִּית excessus

ſus ſeu fœnus. In fine radici appoſita litera ת thau, uerbi aliquot accidentia gignit, ut פָּקַדְתָּ uiſitaſti mas, פָּקַדְתְּ uiſitaſti fœm. גָּלִיתָ & גָּלִית reuelaſti פּוֹקֶדֶת uiſitans, מְשַׁבֶּרֶת confringens, דַּעַת ſcire, רֶדֶת deſcendere פְּקָדַתְהוּ uiſitauit eum fœm. Format & nomina מִשְׁמֶרֶת cuſtodia, & mutatum ex ה in conſtructione, חָכְמַת יהוה ſapientiã domini. Thau in mediam radicem non inſeritur, prẹterquàm in coniugatione hithpaal, quando prima litera thematis eſt una illarũ quatuor זסצש, ut הִשְׁתַּמֵּר & non הִתְשַׁמֵּר propter euphoniam, נִצְטַדֵּק & nõ נתצדק Syllabẹ ex thau initio ſunt, הוּפְקַד & הִתְפַּקֵּד. In fine plures, ut פָּעַלְתִּי feci, גָּלִיתִי reuelaui, כַּבּוֹתִי circũdedi, & הם & תן ut פְּקַדְתֶּם uiſitaſtis uiri פְּקַדְתֶּן uiſitaſtis fœm. Quẹ adiectis pronominibus in fine uertuntur in תי ut פְּקַדְתּוּנִי uiſitaſtis me.

Iam prẹpoſitiuẹ particulẹ poteſtatẽ habent coniunctionum, prẹpoſitionum, aduerbiorũ, & relatiui pronominis. Easq́; factas eſſe conciſione literarũ ex integris uocibus in plerisq́; manifeſtum eſt.

Mem enim ex מִן factũ eſt: unde punctũ dages literẹ ſequenti affert, quod monet literã nun ademptam eſſe. Quemadmodũ uero מִן integra uox ſignificat à, ab, abs, de, è ex, & cauſam, ob, ꝑpter, per & aduerbiũ cõparandi quàm: Ita etiam litera mem prẹfixa ut מִן הדרך & מִדֶּרֶךְ de uia, idem pollent.

Schin שֶׁ factum eſt ex אֲשֶׁר: unde perpetuo retinet punctum ſegol uno & altero loco excepto, & ſequenti literẹ imprimit dages. Vtq́; אשר prouo-

inde enim dicitur תֵּן לִי, & תֵּן אֵלַי da mihi. Porro ſicut eſt mutata punctatio prępoſitionum אל & על ita & ל pro על ponitur aliquando.

Beth pro בַּיִת intra & intus, & pro בֵּין inter, & pro בְּיַד in manu, hoc eſt, per, aut propter ſuccincte ponitur. Vnde literę ב multiplex uſus, & functio. Iunguntꝰ aliquādo pticulę prępoſitiuę duę, aut tres, quę uim ſuam retinēt, ut כבראשנה ſicut ab initio.

Poſtpoſitiuę literę & ſyllabę ex integris pronominibus factę ſunt. Eaq́ res in prima & tertia perſona obſcura non eſt. Nam ex אֲנִי ego factum eſt נִי, & adhuc conciſius י: Ex נַחְנוּ nos נו. Ex הוא ipſe ortum eſt הו, & contractius uau, ut דְּבָרוֹ uerbum eius. Accedit autem pronominibus נ interdū: unde fit, pro הו pronomen נהו, & he reiecto נו uelut תְּהַפְּכֻנוּ proijcient eum. plurale הם & contractius ם aut ו addito per paragogen מוֹ. Similiter euidens res eſt in fœminino הִיא, ex quo fit הָ, ut Chaldęi expreſſius dicunt הָא, & cōtractius dicitur ה uel הָ. Vtq́ ex נהו fit נו per ſyncopen, ita ex נהה fit נָה. Et in plurali הן pronomen uel integrū ponitur, uel ſuccinctum ן. In ſecunda perſona אַתָּה & אַתֶּם tu & uos Thau mutatur in Caph, ne confuſio & ambiguitas oriatur inter pronomina ſecundę perſonę, & literas formatiuas ſecundę perſonę preteriti temporis. Conformia enim eſſent פקדכם uiſitauiſtis, & uiſitauit uos. Idcirco enunciantur, quaſi ex כָּבָה facta ſint, quo etiam Grāmatici utuntur pro ſecunda perſona. Pro אַתָּה igitur ponitur ךָ, & cum he

כָּה tu:

אַתֶּם בַּת tu: pro אַתְּ dicitur ךְ, & cum iod בִּי, pro אַתֶּם pro אַתֶּן autem בֶּן uos.

Porro inter ſpecies augmenti numerãdum eſt, quum literę geminãtur, uelut נִפַּלַּל procidit maiori quadam ruina, quàm ſi dicatur נָפַל cecidit. כלה perfecit כִּלְכֵּל educauit. חמר turbidũ fuit, חמרמר turbulentiſsimum fuit. Et quum dages literis imprimitur, quod uicem literę obtinet. Quia בִּקֵּר perinde eſt atque בִּקְסֵר, & uis ſignificandi intenditur in coniugatione piel aut dageſſata, non ſecus quàm ex ingeminatione literarũ. Et litera quidem geminatur, ubi dages inſuauiorẽ ſonum faceret. Non enim קִמֵּם dicitur, ſed קוֹמֵם. Eſt & augmentũ in tempore ſyllabarũ, quum longa uocalis ponitur loco breuis, ueluti בֵּרַךְ pro בִּרַךְ. & סֵפֵּרוּ pro סִפְּרוּ.

DE LITERARVM DETRActione, itemq; uocalium.

EX literis ſubſtantialibus frequenter excidunt, quę in diagrãmate ſunt diſpoſitę, quod in coniugationibus uerborũ ſolet à Grammaticis diligenter tractari. Aleph prima radicis perditur, ut אֹמַר dicam, & media, ut שְׁלֵתֵךְ pro שאלתך, & finalis קרינה pro קראינה. He in fine ſubinde amittitur, ut גָּלִינוּ, aut mutatur, ut גָּלוּי, & גָּלְתָה, & גָּלָה. In medio non perditur. In principio quoq; non perditur. Ideoq; אֵלֵךְ ibo & ſimilia, potius à יָלַךְ, quàm הָלַךְ deriuata ſunt. Vau nunquam eſt primum radicis elementũ, aut ultimum. In medio autem ponitur frequenter, & ſucciditur, aut mutatur, ut בין intellexit

lexit fit בָּן, & הֵבִין fecit intelligere. Iod ultimam radicis non temere inuenias. Media radicis aliquando extirpatur, ut שֵׂבָה canities à שִׂיב: Prima sępius auellitur, ut דַּע scito, aut mutatur in uau, אוֹדִיעַ scire faciã. Nun reuellitur à principio, & medio, à fine non item. Cuius obseruationis multa sunt in Gręca, & Latina, & Germanica lingua. Inter Gręcas dialectos frequenter id facit Ionica. Latini autẽ dicunt colligo, & corrũpo, & compello, & alia. Germani uero, ir sagt, pro ir sagent. Ad eundem modum Hebręi אֶגַּשׁ pro אנגשׁ, & גַּשׁ pro נגשׁ. In medio etiã חִטָּה pro חִנְטָה & אַת pro אנת. Ita Persę ex גָּנַז Hebraico, & גִּנְזָא Syro nomine fecerunt גַּזָא gazam: quod & prouerbio loco fertur, ut Persię gazę dicantur. Iidem Persę nun retinuerũt, ubi sermo Hebraicus perdidit, quũ dicunt pro מַדּוּ μανδύας, & κάνδυ pro בַּד. Vnde Gręci κάδδον, & Latini cadum acceperunt. In fine perdi existimatur, quum dicitur נָתַתָּ pro נָתַנְתָּ quod tamen deflexum ex נתת uideri potest. Additur & ל quod in principio radicis perditur, eiusque pręceptionis unicũ exemplũ לקח, ueluti אֶקַּח accipiam, quod potius à נקח inflexũ est. Porro quoties litera geminatur, semel excludi potest, ut סַבּוּ pro סָבְבוּ & נָתַנּוּ pro נָתַנְנוּ

Excidunt & literę adiectitiæ, ut quę in tabula diagrammatis proponũtur. He figuratiua perditur ab initio, ut in cõiugatione hipheil בִּינוֹתָ pro הֲבִינוֹתָ & מְהַפְקִיר pro מַפְקִיר, & לְהַפְקִיר pro לַפְקִיר & מְהוּפְקָר pro מוּפְקָר. Similiter in cõiugatione seu

forma nipheal, ut בֵּעָטֶת pro בְּהֵעָטֶת. Et a fine, ut נַעֲרָ pro נערה, & שְׁמַעְנָה p שְׁמַעַן. Vau in medio tam crebro excluditur, ut extrinsecus intelligatur, ubicunq; holem ponitur, פֹּסֵר pro פּוֹסֵר. Item סְגֻלָּה pro סְגוּלָּה. In fine rarius, ut שְׁבְּבָ pro שבבו. Et mutatur in he, ut רִבֹּה uerbum eius. Iod in medio frequenter perditur, itemq; ex syllaba finali ים, ut חָסֵר amoue pro חָסִיר, & מַמְסֵר pro מַמְסִיר. In fine autẽ ut צַדִּיקִם pro צדיקים, & יְרוּשָׁלַם pro ירושלים Vbi quantum insit mysterium Iudęis, non ignoro. Auellitur iod & hoc modo, קְרָא pro קְרָאִי uocato. Nun formatiua speciei aut coniugationis nipheal amittitur, ut אֶפָּסֵר pro אנפסר, & הִפָּסֵר p ינפסר. Et in fine, ut אבדה perditio pro אבדון, ut Dauidi Kimhio placuit. Frequẽtissime perditur ם in pluralibus, ut מַלְכֵי pro מלכים. Etiam extra structurã & complexionẽ uocum, ut חַלוֹנֵי pro חלונים. Excluditur thau formatiua, sed rarissime, ut מִדַּבֵּר pro מִתְדַּבֵּר

Iam & prępositiuæ intelliguntur extrinsecus, ut sermonis atq; sententię absolutio postulabit. Mem quidẽ, uelut Iosue 10. cap. עַד יקום גוי אויביו pro מאויביו. Schin, ut דרך ילכו בה uia per quam ingrediantur. He interrogandi & admirandi signũ, ut האתה בני, num tu filius meus? Et quod epitasin habet, prę sertim accedẽtibus literis בלב, ut לַבַּיִת pro לְהַבַּיִת. Vau, ut sol luna, pro sol & luna, quod rhetores uocant asyndeton. Caph, ut in Genes. גור אריה pro כגור, sicut catulus leonis. Lamed, ut בָּא בית pro לבית. Beth frequentissime prętេritur

ritur ſtylo & lingua, & tamen intelligitur, ut ששת ימים in ſex diebus, & וימת לא בנים pro בלא בנים mortuus eſt abſque liberis.

Eſt & in uocalibus diminutio, ut יִשָּׂשכָר nullà uocali poſita ad ſchin in medio. Mutatur & uocalis longa in breuem, in cõnexione uocum, ut זְקַן הבית pro זָקֵן. Eſtq́ uau permutabile cum omnibus uocalibus, quod pronunciando poteſt excludi, & ex duabus ſyllabis una conflari. Eſt & craſis, ut ex duabus uocalibus una coaleſcat וֵאלֹהִים, item וַיְדַבֵּר pro וִידַבֵּר & וֶאֱלֹהִים.

DE PERMVTATIONE LITErarum & uocalium.

MVtatio elementorũ, quę à nonnullis παραλλαγὴ dicitur, maximè ſpectatur in cognatis & oppoſitis literis & uocalibus. Nec ſolum inſtruit iudicium de Hebraicis, uerũetiam de alijs linguis, quę mutuo acceperunt ab Hebraica uoces aliquas, ut Syriaca imprimis, aut dederunt, ut Gręca, & alię quędam linguæ. Quod etiam in tranſpoſitione elementorum ſpectandum eſt. Nam פְּסַנְתְּרִין mutato nun in lamed Gręcam originem fatetur ψαλτήριον. Aleph & he ſępius permutantur, & אמון ut המון dicitur, & קרא ut קרה. Ita iod loco uau, & uau loco iod. He pro uau & iod, ac uiciſsim uel uau uel iod loco he ponitur. Sic אֶגְאַלְתִּי pro הִגְאַלְתִּי. In ſecundo ordine מְגֹרָה & מְגוּרָה, & כובע & גובע eodem ſignificato proferuntur. Cum ijs maximè congruit ain, pro quo lxx. interpretes ſępius ponunt γ. In-

terdū mutatur ח in ain,ut עָשׁוּ festinate,sicut חָשׁוּ. In tertio עָבְשׁוּ pro עפשׁוּ, ut thalmudici פקר pro בקר ponunt: Et Syri פרזל uocant, quod Hebræi ברזל uocant. In quarto ordine נַהוּם pro רהוּם. In quinto נצטרק p נצהרק. In sexto ordine,ut יְקוֹסֵס pro יְקוֹצֵץ. Chaldæi transferunt plurimas dictiones in suam linguā sola mutatione ד in ז,ut דְהַב aurum, ש in ת,ut תור ex שור, unde Græci & Latini ταῦρος habent, צ in ט,ut יעט consuluit,aliquoties in ain,ut ארעא terra. Quum uero ד in ר,& contra ר in ד mutatum cernitur,aliaq; id genus, librariorū negligentia potuit accidere. Est etiam permutatio literarum cabalistica, quam uocant Hebræi geometricam, quia nomine geometricę comprehendunt arithmeticam, quæ ex relatione literarū spectatur, ut prima ponatur, pro ultima, & uicissim. Quam alphabethi inuersionē uocant אַת בַּשׁ,ut שֵׁשַׁךְ apud Hieremiam pro בבל scribitur. Sic etiam prima pro secunda, secūda pro prima, Item prima pro octaua, & cōtra octaua litera pro prima ponitur. Et itidem in cęteris. Non enim modum tenent hic Iudæi, & ex illa relatiua elementorum permutatione arcana scripturarū conantur aperire, quum solida notitia linguæ destituti sint. Fecisse tamen obseruationem illam inter Iudæos temporibus Hieronymi, cernitur ex ipsius commentarijs in Heremiam.

Est & uocaliū permutatio perfrequens in cognatis & oppositis, ut pathah mutetur in kamez, zere in segol. Sed & aliarum uocalium est mutua collusio,

ſio,ut לָמַר pro לָמַר ponatur, יַלְדְתִּיךָ pro יְלִדְתִּיךָ & יִשְׁפּוֹטוּ pro יִשְׁפּוֹטוּ. Ita in Chaldaicis אתר uenerunt, dicitur, ſicut in Hebraicis אתו. Eſt & toni mutatio, quę potius ad tranſpoſitionem pertinet.

TRANSPOSITIO ELEMENTOrum, quæ μετάθεσις uocatur.

CRebro accidit Hebraicis dictionibus metatheſis & hypertheſis elementorũ, ut כֶּבֶשׂ & כֶּשֶׂב pro eodem uſurpãtur: & נַאֲקָה ſicut אֲנָקָה: & אֲגַם ſicut גוֹמֶא. Vtrunq; ponitur aliquando in eadem ſententia, ut in Ioſue ויחלוש יהושע נחשלים

Tranſponuntur uocales etiam & earum apices, quanq̃ rarius, ut Exod. 26. בַּחֲשֻׁבֹת pro בְחַשְׁבֹת: Et יִבְחַר pro יִבָּחֵר. Tranſponitur & proſodia, ut חַמֵּצָה pro חַמֵּצָה in diſtinctione. Et appoſito uau ad caput dictionis frequenter, יֹאמַר dicet וַיֹּאמֶר & dixit. Et de his hactenus. Tantum enim genera indicare uolui.

DE EPITASI, SYNTOMIA, & euphonia.

IN his omnibus tres maximè rationes ualent ceu leges principales & imperatorię, ἐπίτασις intenſio uel ἔμφασις indicatio uehemẽtior, & συντομία breuitas, & εὐφωνία concinnitas, uel (ut aliqui dixerũt) ſonoritas. Epitaſis eſt, quum adiectione literarũ intenditur uis ſignificatiõis, & rebus pondus aliquod adijcitur, excitaturq; animus ad illud etiam intelligendum, quod non exprimitur, quam uirtutem orationis Hebræi nominant חוזק ענין fortificationẽ ſi-

gnificatus. ut הדבר illa res, tam ardua, tam magna, tam incredibilis, tam absurda, tam nefaria, &c. Et תָּבֹאתָה לראש יוסף ברכה ueniat benedictio super caput Ioseph, pro תבא, quod monet non uulgarem sed auctam & conduplicatã, perinde quasi scriptum sit ברכה ברכה uniuersa beatitudo, & quicquid uspiam bonum est. Breuitas succincta est uirtus orationis, quæ contrahit, & excludit, quæ citra intelligentię detrimentũ detrahi possunt. Idq; adeo ex naturæ pręscripto. Quum enim nihil sit mente celerius, gaudet etiam quàm paucissimis tum suam sententiam exprimere, tum aliorũ accipere. Eaq; naturæ lege dominus mores informat, quod magis placeat, in pręclare agendo assiduos esse, quàm in accumulandis uerbis. Et seruator hypocritis attribuit battologias etiam in sacris orationibus. Vnde scriptoribus, & toti linguę Hebręorum familiarissima est breuitas, quam ipsi קצר uocant cõcisionem aut contractionem. Idipsum perspicitur in alijs quoq; gentibus, quæ naturæ bonitate incitatę promptiores ad agendum, quam loquendum sunt, & ingenio imperioso pręditæ, ut Teutones, & Lacones inter Gręcos. Vnde celebratur Laconica breuitas, quæ in Hebraico sermone eximia est. Nam & litera geminata cõciditur breuitatis gratia, ut סַבּוֹ pro סַבְבוֹ & longę uocales cum breuibus permutantur maximè cum scheua, quod pronunciando excluditur, & duæ syllabę in unam coalescunt: Idq; fit in additione literarum & aptatione. Vnde ex דָּבָר fit דְּבָרִים &

non

שְׁמַר Ex. דְּבָרֵיכֶם non דִּבְרֵיכֶם, & דְּבָרִים non דְּבָרִים apposita ſyllaba formatiua diceretur שְׁמַרְתֶּם. Syn tomia uero & euphonia dictant שְׁמַרְתֶּם ſchamarthem, ut latina ſyncope dicit cuſtodiſtis, & contractius שְׁמַרְתֶּם ſchmarthem, quod Latini ſermonis leges imitari prohibēt. Et in curſu uocum cohęrentium, ut ad unā rem pertineant, dicimus דְּבַר יְיָ uerbum domini, & דִּבְרֵי אֱמֶת uerba ueritatis, & זְקַן הַבַּיִת, ex זָקֵן, ſenex domus. Eadem ratione in clauſula dicitur פְּסָרַי & חֲפָצַי & יְכָלַי, in curſu autem orationis, quam Gręci uocant συνέπειαν, contractius efferentur פִּקְרֵי & חֶפְצֵי & יִכְלֵי. Obſeruatur etiā breuitatis lex in dictionibus integris, & quum duæ fiunt ex una, אַיֶּכָּה pro איה אתה, ubinā tu? & יְצָאוּנִי pro יָצְאוּ מִמֶּנִּי. In ſententijs deniq; & in totis orationibus. Emphaſis etiam & elegantia ſermonis in lingua Hebraica non contemnitur in dictionibus & ſententijs. De quibus eſt alibi admonendū. Euphoniam uero pro lege ſumma obſeruari à lingua Hebraica, non concedet, qui ſupſtitioſam & moleſtam Iudæorum pronunciationem attenderit. Sed quis mente præditus credat naturam ita fuiſſe primogenitę linguæ & omnium parenti aduerſam tantopere, ut eam damnarit Scythica illa aſperitate, ne quid probet, niſi abſurdum & abſonum? Quomodo reſcindere uoluiſſet optima inſtituta ſua & pręſcripta gratificandū eſſe aurium ſenſui, quo nihil eſt delicatius, & qui offenſus præcludit oſtium rebus ad mentem ituris? Quomodo pręter neceſſitatē onerare

rare uoluiſſet linguã animi plectrum, & nõ potius leuare ſonis expeditioribus? Quis eſt tam craſſa & iacenti aure, qui non ſentiat ea quæ à regulis ſpecialibus deflectunt, ſequi regulas generales & ſummas euphoniæ atque breuitatis? Nempe aures probant אֵרַע eda, id eſt, ſciã אֶנְרַע ut אֶפְעַל reſpuũt. Magis requirũt אוֹרַע quàm אִירִיע: Magis אֲגִישׁ quàm anggiſch: Magis גָּלְתָה quàm גָּלִתָה & גָּלִיתָ quàm גָּלַחְתָּ: magis סַבּוֹתִי quàm סַבַּבְתִּי: magis נִצְטַדֵּק quàm נתצדס

Et alia id genus plurima. Quod doctiores Iudæi aduertentes euphoniam linguæ Hebraicę in artibus tradiderunt, uocantes סלות לשון facilitatem linguæ, & תפארת המבטא uenuſtatem pronunciationis.

DE RESOLVTIONE VOCVM, & dijudicatione thematis.

QVAE res in principijs ſtudij Hebraici omnium uidetur difficillima, & tamen eſt imprimis neceſſaria, indago primitiui, ut& uulgò dicunt, modus & uia inueniendæ radicis, eam nunc explicare conabor, ut ſuo loco: quippè quæ pendet ex analogiæ principijs. Quod negotium facilius percipietur, ſi ad naturę præſcripta exigatur, quàm ſi ad nimiam quorundam ſubtilitatem expendatur. Quæcunq; enim res aut figura ex partibus compoſita, ſi deformata fuerit, reſtituitur in priſtinam formam quatuor modis, in quibus omnis mutatio uerſatur,

ſatur, additione, detractione, immutatione, tranſpoſitione. Nam ablata reponuntur, aliena detrahuntur, tranſpoſita & transformata in priorem faciem reducuntur. Eodem pacto agendum erit in uocum origine indaganda. Quum enim origo aut radix primitiuæ uocis fermè conſtet tribus literis, quæ ſubſtantiam & fundamentum uocum deriuatarū deponunt, quibus adduntur aliæ uarijs de cauſis, literæq́ nonnullæ cadunt, & permutantur, & tranſponūtur, oportet quatuor genera illa mutationis diligenter annotare. Proin ſi dubites de origine aut themate oblatæ uocis, principio inſpicies, num adſint literæ aliquæ ex undecim illis, quæ perpetuo ſubſtantiales ſunt, aut aliquæ ex undecim quæ aliquando ſeruiles exiſtunt, incerto autē loco ſemper ſubſtantiales, ut ב in medio & fine. Nam ſi colligas eiuſmodi tres literas, & ordine ſuo iūgas, proculdubio radicem uerbi exhibent. ut exempli cauſa, in חשמרתם occurrit litera res perpetuo ſubſtātialis, & mem in medio ſemper eſsentialis, & ſchin in principio ſine ſægol apice, nunquam non ſubſtantialis. Eſt igitur thema שָׁמַר, quod reuocabis ad lexicon, & diſces tum ſignificatum uocis, tum literarum aduentitiarū, nempe he in principio, thau in medio, ſyllabæ תם in fine, uſum & poteſtatem. Difficilior tamen erit inquiſitio in ijs, quæ habēt literas ambiguas, & eo loco poſitas,

quo pariter ſubſtantiales & accidētales queunt eſſe, aut literas ſubſtantiales amiſerūt. Vbi acri penſitatione erit examinandū, utrum pro ſubſtantialibus an ſeruilibus accipias: Et inter amiſſas literas, an reſtituēda ſit prima, an media, an ultima, an ſimul prima & tertia. Vt uerbi gratia אֲבִיתָם unicam habet literam beth, quæ in medio ſubſtantialis uideatur. Vehementer autem addubitabit inexercitatus, quid abijciat, quid reuocet ad explendū thema. Non pigebit igitur initio tentare omnia, explorare, diſcutere, dum certum quid excutiatur, ut ad lexicon referat אבת & יאב & נאב & ארב & אבב & אבת donec certa ratione deprehēdatur אביתם factū eſſe ex אבת adiecta ſyllaba תם & mutata ultima ſubſtantiali he in iod. Sic de נִבַּבְחִי & de תַר reiectis literis adminiſtris, & reuocatis uelut poſtliminij iure nun & he radix redintegratur נָבַת. Non pigebit etiā interpretes Latinos & Græcos, ueteres & recentiores in conſilium adhibere. Verum ut meminerit ſtudioſus non modo leges interpretandi permittere, ſed etiam iubere, ne uerbum uerbo anxiè & ſcrupuloſè reddatur, neue in uocum affectionibus hæreat bonus interpres ceu anceps literarum & ſyllabarum: Sed magis appendet ſententias, & quod in prima lingua ſcriptum eſt, totum fide ſumma & perſpicuitate in alio exprimat ſermone. Hac, ut opinor, ratione, ſi paucorum

menſium

mensium exercitatio eam confirmet, laborq́ omnia uincens accedat, originũ atq; radicis peruestigatio expedita & plana reddetur, quæ initio difficillima esse uidebatur.

DE IIS QVAE IN SINGVLIS dictionibus spectantur.

IN singulis dictionibus idioma Hebraicum præcipuè consideratur quatuor rebus, ui & potestate atq; proprietate significationis, forma seu deriuatione, inflexione, compositione. Quæ quidem ad cognoscendam hanc linguã sufficere mihi uidentur. Tametsi nõ ignoro, minutius omnia diuidi posse, & solere à plerisq;.

DE PROPRIETATE AC ui significandi.

NOn me latet Fabiũ multa genera proprietatis in oratione docere, quæ in Hebraicis etiam tractari possent. Proprietatem sic intelligo, qua singulæ dictiones habent peculiare ac unum significatum prima positione: A quo nonnullæ propter similitudinem ad alia etiam significanda longius extenduntur, Quemadmodum caput primò ac propriè significat partem corporis, quæ continet sensuum omnium organa. Inde per tropum, & dilatationem extenditur ad alia, ut dicatur caput familiarum, caput sacerdos, caput arboris, caput montium, caput anni, caput libri, deniq; initium cuiusq;

rei. Quod in omnibus linguis obseruatum est, similiter. Non habet lingua sancta uocum primitiuarum superuacaneam turbam, ut uni rei plura nomina tribuerit, quemadmodum Iudæi etiam doctissimi existimant. Et quæ ipsis maximè synonyma uidentur, ut סַבָל & כְּסִיל & שׁוֹטֶה, מְשֻׁגָּע & מְהוֹלָל, tamen ratione nō obscura distinguuntur. Ac ne singulis quidem rebus nomen suum assignauit Hebraicus sermo, idq́ prudenter. Quum enim sit rerum infinitas, & quotidie nouū aliquid oriatur inter homines, est supra captum ingenij mortalis, unamquanq́ rem uoce propria notare. Itaque Natura duce uoces aliquot primogenitę in Hebraico sermone institutæ sunt: quibus tamen uariè appositis omnes res, omnes actiones aptè & luculenter, & signanter compræhenduntur: ut potius lingua frugalis & moderata sit, quàm egena & pauper. Nónne uidemus decem numerorum notis aptè adhibitis, quemlibet numerum exprimi, & consignari? Nónne uidemus, ut unus homo diuersissimas personas gerat, & tamen omnibus satisfaciat? Nónne uidemus unum organum hominum solerti usum præbere multorum? Ars quoq́ dialectica uno aut duobus uerbis adiectis ad uerbum generalius, uniuersale aliquod in particulas omnes discernit ac separat. Eadem prudentia sermo Hebraicus uerborū supellectile non luxuriosa expedit,

pedit, quod linguæ ditissimæ, & infinita copia dictionum onustæ nequaquam assequuntur. Id primum fit dilatatione, quam κατάχρησιν, id est abusionem, maluerũt dicere, qua uox à propria significatione transsumitur ad aliam rem, quæ nomine caret, ob aliquam naturæ similitudinem, & cognationem. Quod in multis facere coactæ sunt linguæ Latina & Græca, quæ in fingendo, & compõnẽdo, & modificando multum permiserunt sibi; ut dicunt Romani gemmã in uitibus, & inoculare uites, & manus atq; coruos in nauibus. Multaq; nomina tum apud Græcos, tum apud Latinos animalibus terrestribus, aut aquatilibus communia sunt. Sic apud Hebræos תנין & marinã belluam significat, & terrestrem, utpote draconẽ. Huius generis est ὁμωνυμία, ut quòd אלהים deum significat, & simulachrũ dei. Quæ in Hebraico eloquio frequentissima est, & in omnibus linguis necessario usurpatur. Quædam cum adiectione alterius uocis pluribus rebus significandis adhibẽtur, et una uox ueluti generalis, in plura significata per adiectas differentias spargitur. Qua re inopia uerborum, quę aliquibus uidetur sermonem Hebræum premere, felicissimè prohibetur. Ex בית nanque notæ significationis uoce, plura etiã alia sine ambiguitate repræsentantur, ut בית אל domus dei, templum aut fanum, בית דין domus iudicij, curia uel sena-

culum, בית יין domus uini, cella uinaria, בית אסורים domus uinctorum, carcer aut ergastulum, בית נפש domus animæ, olfactoriolum, quo continentur odores ad recreandum animum, בית זונה domus meretricis, lupanar. Et alia id genus plurima. Sunt quæ sine adiectione, aut cum adiectione latius extenduntur, ut נביא propheta, נביא שקר propheta mendacij, uel נביא pseudopropheta. Sic אלהים אחרים dij ficticij aut falsi, uel אלהים. Sic שַׂר princeps, שר קשה princeps durus, uel שַׂר tyrannus. Ex ista ratione ארץ elementum significat, hoc est terram, & habitatum orbem, & partem orbis habitati atque prouinciam, uelut terram Israël, terram Iuda, terram Ægypti. Porro quū duobus aut tribus uerbis una res notatur, periphrasin dicere non cōuenit, quæ intelligitur, quum proprium nomen rei pluribus rependitur, ut ars bene dicendi, pro rhetorica, & Troiani belli scriptor, pro Homero. Dicamus igitur, si uidetur, distinctionē uel diuisionem uocis, ut enim דברים טובים uerba bona pro pollicitatiōe ponuntur, ita דברים רעים uerba mala pro minis. Et loqui uerbum bonū, est polliceri, loqui uerba mala, est minari. Huius loci est notatio, quā inter periphraseos genera cōmemorant, quum rei natura significanter exprimitur per accidentia: ut oculus malus ponitur pro inuidia, oculus altus pro superbia, oculi humiles, pro deiectione

atq;

atq; ſummiſſione animi. Atq; hæc breuiter deli
baſſe, ſat fuerit ad indicandũ non eſſe neq; ſyno
nymorũ congeriem, neq; polyſemorum confu
ſionem, quæ à nonnullis traditur, in ſermone
Hebraico. Nam uoces quæ prima poſitione u-
num certum & conſtans habent ſignificatum,
ſic ad alia etiam notanda extenduntur, ut pri-
ma & propria ſignificatio perſtet, & ratio ſimili
tudinis agnoſcatur, ob quã aliò etiã uocabulũ
accommodatum eſt. Deinde quum ſint inter-
dum duæ aut plures uoces propinquæ ſignifi-
cationis, ut חָסִיד benignus, חַנּוּן beneficus,
נָדִיב liberalis & magnificus, ita in uno genere
conſiſtere intelliguntur, ut tamen aliquid inter
ſit. Eſtq; ualde ridiculum, quod magiſtri noſtri
Hebræi dicunt uiginti eſſe nomina ſpinarum.

Porrò de his ad plenum tradere pertinet ad
dictionarios. De compoſitione tamen agentes
iterũ attingemus non nihil. Eiuſdẽ obſeruatio-
nis eſt cõſyderare in Hebraicis dictionibus pa-
ronymorũ congruentiam, ueluti quòd עין o-
culus idẽ eſt in capite, quod עין uel מעין fons
in montibus, nempe aquarum receptaculum
uel ſcaturigo, קֶרַח gemmam ſignificat glaciei
cognatam, nempe cryſtallum. Suntq; omnino
etymologiæ aptiſſimę ſermonis Hebraici. Iam
uerò dictiones à propria ſignificatione & natu
rali ad aliam trahuntur, ornandi, illuſtrandi, au
gendi, mittendi, uerecundius loquendi gratia.

ut ירע cognoſcere uel experiri, ſubſignificat rē uenercam. Et ערוה partes uerendas innuit. Eſt quę ſermo natiuus Hebr. adeò modeſtiæ obſeruans, ut eam uirtutem ipſa loquendi conſuetudine præſcribat. Sunt metaphoræ crebræ in lingua Hebraica, ut inter Grecas dialectos in Ionica, quæ ſępius translatis, quàm proprijs utitur. Cæterum Hebraicæ linguæ metaphoræ, & icones, quæ nota ſimilitudinis præmiſſa fiunt illuſtres, & miræ ſignificantes ſunt. Sunt antonomaſiæ, metonymiæ, ſynecdochæ, hyperbolæ nòn raræ, nec ineptæ. Sunt metalepſes crebriores, quàm in ullo alio ſermone. Onomatopœia quidem partim ad primæ inſtitutionis uerbū pertinet, ut בַּקְבֻּק lagena, ex ſono bakbyκ factū quem edit aquis immerſa, partim ad formationem, de qua inferius. Allegoria & reliqua tropis annumerata ſpectant magis complexas uoces. Animaduerſa uocum ſignificatione, initur ratio diſtribuendi eas in certas claſſes & ordines, quas uocant partes orationis. Sunt enim, quæ rem animo repreſentant, quæ dialecticis dicuntur ſignificantia & categoriæ. Alia connexionē rerum indicant rationi, quæ conſignificantia, & ſyncategorumena uocantur. Prioris generis uocē Hebræi grammatici appellant מורה ענין עומד בעצמו ſignificans rem pro ſe ſtantem, ut ſunt nomina שמות, quibus iungenda erunt pronomina non affixa ut הוא ipſe, & uerba,

פעלים

פעלים. Posterioris generis uoces appellant מלות, id est dictiones, nempe indeclinabiles, ut sunt aduerbia, coniunctiones, praepositiones, interiectiones. Pauca sunt, quae à dialecticis signa uniuersalia & particularia dicũtur, ut hij omnes, פלוני אלמוני quidam, quae illis accenseantur. Et in singulis classibus dictionum rursus quaedam significationis differentia obserua tur: quae in nominibus dicitur qualitas, quòd alia propria sunt, alia communia: Itemque in pro nominibus, finita & infinita: In aduerbio & participio, & interiectione, significatio: In coniunctione potestas: In uerbo genus, uidelicet actiuum & passiuum. Quorsum attinet rem eandem tot nominibus obscurare? Longè commodius ad discendum est, ut intelligamus significationem, aut uim, aut potestatem uocũ principio annotandam esse. Et nominum quidem aliud propriũ, aliud appellatiuũ esse, rursumque appellatiuum, uel adiectiuum, uel substantiuũ. Verborum aliud esse עומד stans, hoc est neutrum uel absolutum, aliud עובר transiens, aut actiuum. Alias uoces modum uerbis adijcere significando tempus, aut locum, aut affirmationem, aut negationem, aut aliud. Alias connectere uoces pares, aut sententias, coniungendo, aut disiungendo, aut inferẽdo, aut alijs rationibus. Similisque obseruatio existit in uocibus indeclinabilibus, quae Latinis & Graecis praepositio-

nes dicuntur. Quædam enim coniungunt, ut עם cum, quædam disiungunt, ut מן de, ex, &c. quædam causam significant בעבור propter. Et reliqua similiter. Quæ omnia in Dictionarijs explicanda sunt.

DE FORMATIONE SEU
deriuatione uocum.

IN deriuando & modificando non inferiores sunt Hebræi Græcis, quibus nihil est negatum, ut ille ait: quum ab una quaque propemodum origine ducantur nomina & uerba, non raro & indeclinabilia, uelut ex עלה uerbo ascendit, העלה subduxit, מעלה gradus, עליה solarium, תעלה aquæ ductus, על super, מלמעלה superne, & alia quædam. Multæ sunt nominum deriuatiuorum species, multæ uerborum formæ, ut minime rigidam aut præfractam linguam Hebræorum existimare debeamus. Et nomina quidem deriuantur a sua origine uel punctorum uocalium mutatione, ut אֵבֶל cibus ex אָכַל comedit, uel etiã literarũ additione & detractione, ut מַאֲכָל alimentum, מִכֶּלֶת culter, עֵצָה consilium a uerbo יעץ. Sed formas nominum persequi, & quæ sit in singulis congruentia significationis, quomodoq; Hebræi expediant, quæ apud Græcos & Latinos certa formula deriuatiuorum enunciantur, ut comparatiua, superlatiua, numeralia, ordinis, multiplicatiua, proportionis, & alia id genus, ad plenam

plenam tractationem grammatices pertinet. Hic fontes duntaxat indicasse contenti sumus.

Verborum octo sunt formæ seu species, quas coniugationes Grammatici uocant, nostrates Iudæi בנין structuram nominant. Prima plerunque est primitiuorum & radicum, ut פָעַל fecit. Aliquando & deriuatiuorum, ut צָדַק iustus fuit à צֶדֶק iustitia. Secunda forma producitur adsumpto nun in principio, estq; pasiuæ significationis, נִפְעַל factus est, נָפוֹץ dispersus est. Tertia fit per dages, ut Grammatici omnes dicunt: quum potius geminatione literarum fiat, ut קוּם surrexit קוֹמֵם erexit, גלה uoluit גִלְגֵל uolutauit. In quibusdam dages ponitur loco geminatę literæ, ut שִׁבֵּר contudit. In quibusdam longa uocalis uice breuis posita geminatā literam explet, ut שֵׁרֵשׁ & non שִׁרֵשׁ aut שִׁרְרֵשׁ eradicauit. Quarta eius pasiuum exhibet itidem formata geminatione literarum, ut קוֹמַם erectus est, שֻׁבַּר contusus est. Quinta fit adsumpta litera he in principio, & quandoq; iod in modum radicis inserto, ut הִפְעִיל & הֵבִין & הֵסֵב. Sexta quoq; per he pręposítum הָפְעַל & הוּבַן & הֻסַב. Septima ex tertia fit præ posita syllaba הִת ad infinitiuum, ut הִתְפַּקֵּד seipsum uisitauit. nam pariter actiuè & pasiuè significat. His addiderunt pleriq; octauam formam, quam מְרוּבָּע quadratā uocant interposito uau inter primā literam radicis & mediam,

ut שׁוֹפֵט erat indicans. Quod Helias refellit rationibus non infirmis. Cæterum formandi rationem, & significandi uim exactius tradere, est alterius instituti.

Indeclinabilia ex nominibus aut uerbis plærunque deducuntur, ut fit עֵקֶב caufalis particula ex עָקֵב calce. Est enim causa, extremum negocij cuiusque, ut calx humani corporis. Paucissima sunt, ex quibus uidentur significatiua deflecti, ut ex הֵן ecce הִנֵּה intentissime obseruare.

DECLINATIO, ET coniugatio.

VT mẽtis discursus & reputatio multis modis inspicit, cõparatue res inter sese, ita & in sermone, dictiones, quæ rei aliquod simulachrum imprimunt intelligentiæ, à sua torquet ac declinat rectitudine, ac subinde nouam induit faciem, quæ formæ, casus uocantur, hoc est πτώσεις in nominibus, & in uerbis σχηματισμοὶ, & figuræ dictionis. Totaque uariatio dictionis appellatur κλίσις declinatio in nominibus, in uerbis tum συζυγία coniugatio, tum κλίσις inclinatio. Nomina uariantur, ac flectuntur ex masculino genere in fœmininum, quod adiectiuis omnibus accidit, ut גָּדוֹל magnus גְּדוֹלָה magna. Neutrum genus Hebræi non habent, quanquàm Latinæ ecclesię, beata Cherubim et

Sera-

Seraphim à Græcis interpretibus acceperunt. Illáque uariatio cernitur in omnibus uocibus, quæ generis discretionem recipiunt, ut מלך rex, & מלכה regina, שר princeps שרה princeps fœmina. Non tamen fit ex עבר seruus עברה serua; sed שפחה dicitur, hoc est ancilla. Sic in animantibus פר iuuencus, פרה uacca, איל ceruus, אילת cerua. At ארי leo, לביא leæna. Quædam una uoce utrunque sexum significant, ut א ארנבת lepus, חזיר sus. quæ sane uocentur epicœna. Quædam, sed paucula ex ijs, quæ sexus discrimen non continent, utroque genere usurpantur, ut יד manus. quæ dubia uocentur.

Deinde flectuntur per numerum singularem & pluralem: & masculina quidem plurali numero desinunt in ים fœminina in ות. Quod diuum Hieronymum annotare non piguit, neque uno loco, ut מלכים reges, מלכות reginæ. Fit tamen contra, ut masculina plurali numero terminentur in ות ut אבות patres, & fœminina in ים ut שנה annus, שָׁנִים anni. Quædam altero tantum numero usurpata comperiuntur, ut נְעוּרִים iuuenta, זהב aurum. In quibus spectantur heteroclita. Est & dualis numeri terminatio in ים ut אָזְנַיִם binæ aures, רגלים bini pedes, אלפים duo millia. In Syriaco sermone rarior est. Et in Arabico sermone fortasse magis Græcorum æmulatione, quàm Syrorum frequenter usur-

patur. Casus non distinguuntur adiectione literarum & syllabarum ad finem, sed præpositione articulorum האיש uiri, לאיש uiro, את איש uirum, מאיש à uiro, & aptatione uerborũ דְּבַר יְיָ uerbum domini.

Verborum distincta inflexio Hebræis nominatur, גִּזְרַת sectio aut pars separata, quòd uerba in diuersos greges distribuantur per formam inclinationis. Nostri ordinem uocât, & est idem, quod coniugatio in Latinis & Græcis artibus. Spectatur autem ex literis substantialibus, quæ inter flectendum aliquando intercidunt, aut mutantur. Estq; prima coniugatio uerborum perfectorum, quæ nullam perdunt literam, ut פָּקַד : Secunda uerborum, quorum prima substantialis litera nun flectendo aliquoties perditur, ut אֶגַּשׁ accedam pro אֶנְגַּשׁ : Tertia, quorum prima litera est iod uel aleph, ut יָדַע & אָמַר : Quarta, quorum media litera est uau, ut בּוֹן : Quinta, quorum ultima est he uel aleph, ut גָּלָה & קָרָא : Sexta eorum quæ simul habent defectiuam literam in principio & fine, ut נָטָה & יָרָה : Septima uerborum, quæ duplicem habent literã, ut סָבַב :

Octaua eorum, quæ literis quatuor scribuntur aut pluribus, ut כִּרְסֵם, & חֲמַרְמַר . Alij plures fecerunt, alij pauciores. Reuera autem una tantum est forma inflectendi uerba, quarum eædem sunt literæ characteristicæ in omnibus uerbis,

bis, ut quod א semper fingit primam personam singul. futuri temporis, אֶפְקוֹד uisitabo, אֶפָּקֵד uisitabor, אֲנַגֵּשׁ admouebo. Reliquæ sunt exceptiones, quæ ratione breuitatis & euphoniæ deflectunt à tritissima uia. Estq; tam facilè coniugationē uerborũ Hebraicorũ omniũ discere, quàm apud Latinos uel secundam uel quartam cum suis exceptionibus.

Ducitur autem coniugatio uerbi per tempora tria, præteritũ, pręsens, & futurum, ut פָּקַדְתִּי uisitaui, פּוֹקֵד uisitans, uel uisito, אֶפְקוֹד uisitabo. Cæterum præfixa litera uau cum apice scheua uel schurek, præteritum transit in futurum, ut וּפָקַדְתִּי & uisitabo. Eadem coniunctio cum pathah uel kamez, reuocat futurũ ad pręteritum, ut וָאֶפְקוֹד & uisitaui. Per modos tres, indicatiuum, imperatiuum, infinitiuum. Atq; illis paucis Hebraicus sermo commodè ac disertè exprimit, quicquid Græci & Latini tot modorum & temporũ distinctionibus conficiunt. In omnibus autem ijs præterquam infinitiuo, est distinctio numeri singularis, & pluralis: & in utroq; numero personarum tertiæ, secundæ, primæ: Et in tertia & secunda persona distinctio generis masculini & fœminini. Quę omnia nullo negocio cognosci possunt ex tabulis coniugationum.

DE COMPOSITIONE & figura.

IN componendo lingua Hebræorum & frequens, & felicissima est. Primum enim particulæ præpositiuæ משה וכלב & subiunctiuæ תבנוים componuntur cum uerbis, nominibus & indeclinabilibus uocibus, ut מִמְּקוֹר & מֵאֶבֶן & מֵעַל. Item אַצִּילְכֶם eripiam uos, אֲבִיכֶם. pater uester, אֲלֵיכֶם ad uos. Secundo compinguntur duo nomina aut uerba in unam dictionem, aut duo accidentia, quæ totidem uerbis interdum necessariò exprimuntur in alijs linguis. Quæ Grammaticis propriè uocantur מורכבת composita, ut צַלְמָוֶת umbra mortis, id est profundissimæ tenebræ, כַּרְמֶל ex כר, & מלא ager plenus, hoc est cultissimus, & omnis generis opes ferens, כלו׳ מְקַלְלַוְנִי Hier. 15. quiuis me non modò contemnit, uerumetiam maledictis incessit: uel tum contemnit, tum execratur. Est enim compositũ ex קלה & קלל adiuncto in fine pronomine. Quædam ex compluribus composita uolunt, quam uocant magnam compositionem, & נוטריקון noterikon, ut פַּרְשֵׁז Iob 26. conflatum existimant ex פָּרַשׂ שַׁדַּי זִיו. Duæ affectiones uocum miro compendio iunguntur, quod in alijs linguis duorum temporum mixtione repræsentatũ est, ut τετύψομαι percussus fuero, ex preterito & futuro cõpositum. Ita futurum coniunctiui à preterito tempore deductũ habet manifestam significationem præteriti & futuri

futuri temporis, ut cum ſcripſero, nempe cum factũ fuerit, quod adhuc futurũ eſt. Et in Germanico ſermone, Vuan ich gſchribi. Ea ratione iunguntur in Hebraico idiomate, duæ formæ יִרְדֹּות pſ. ר perſequetur, & quidem ardenter inſectabitur. Sic duo tempora, & modi, & duæ diuerſæ perſonæ, & uterque numerus. In illo autem וְהוֹשְׁבוֹתִים שוב & שבח cõflata eſſe uolunt. De quibus Helias Germanus proprio in opere ſcripſit diligenter. Suntque illa in dictionarijs ſingula ſuis in locis indicãda. Tertio iunguntur duo uerba, interdũ tria per aptationẽ, ut ſeparata quidem uideantur, tamen ex eorum ſignificatione noua quædam ſignificatio componatur. Quæ in alijs linguis interdum una dictione uel ſimplici uel compoſita enunciantur, interdum pluribus, ut כי quoniam אם ſi, כי אם ſed, יען וביען uerũ enimuero עשה פרי fecit fructũ, fructificauit, יְלִיד בַּיִת uerna, שַׂר מֵאוֹת ἑκατόνταρχος, אַנְשֵׁי בְרִית uiri fœderis, confœderati, aut ſocij, איש ריבי uir meæ litis, pro, aduerſarius meus, ἀντίδικος. Quę ſupra etiam attigi, quum ageretur de ſignificatione.

Cæterum in ſermone Hebraico frequentatur enallage, ſiue heteroſis figura, qua partes orationis inter ſe cõmutantur, aut dictionum accidentia. Ponuntur enim nomina pro uerbis, & cõtra uerba loco nominum, ut חֵפֶץ pro חוֹפֵץ & דַּעַת pro מַדָּע ſcire pro ſcientia. Et indecli-

nabilia pro nominibus, ut בכל מאדך pro uirili tua, ac uicissim עקב calcaneum pro causali particula, sic על דבר super uerbo, hoc est gratia, ob, propter, &c. ponitur genus pro genere, numerus pro numero, persona pro persona, tempus pro tempore, &c. Huc pertinet præpositionū παραλλαγὴ, ut quū אֶל pro עַל ponitur, & ל pro מִן præpositione. Eaq; non temere fiunt, sed cum ratione uel significantiæ, uel ornatus, utq; uarietate illa fastidiū ab oratione remoueatur. Nam præteriti temporis uerbo nunciare aliquid euenturum, rei certitudinem portendit. Et Ezechiel de pseudoprophetis loquens uerbis fœminini generis, ostendit eos contemptibiles, & anicularis etiam magis deliros.

DE COMPLEXIS VOCIBVS.

IN connexione uocum præcipuè spectantur ἰδιώματα linguarum. Quæ loquendi formulæ peculiares uim & elegantiam sermonis complectuntur cōiunctione duarum, aut plurium uocum: nec potestatem atque uetustatem suam facilè retinent in alieno sermone, ut ארך אפים longus facie, hoc est patiēs, & lentus ad uindictam aut iram [illegible] קצר mutilus aut abbreuiatus spiritu, hoc est præceps שים פיו בשמים posuit os suū in cœlū, hoc est digito cœlum attingit, arrogat sibi supra modum magna, & adeò diuina.

Locutionum quas aliqui tropos uocant, re-

ctius

ctius Hebraiſmi nominarentur, ut Atticiſmus, & Laconiſmus, aliæ ſunt ſpeciales, & ſingularũ dictionum peculiares, debentq́ ſuis radicibus adiungi in dictionarijs, ut עז uel עוז robuſtũ ſignificat, עז פנים robuſtus facie, pro inuerecũdo & impudenti dicitur עז נפש robuſtus anima, pro inexplebili, & uoraciſſimo ponitur.

Aliæ ſunt generales, quæ ordine explicari debent, quum de ſtructura ſermonis Hebraici diſſeritur, & uidentur non ineptè in tres claſſes diſtribui. Quarum prima continet ſyntaxin dictionum, ut emendata ſit oratio, & uitetur ſolœciſmi uitiũ. De quibus ſcribere, non fuiſſet ſuperuacaneum, ſi modò Grammaticis in mentem ueniſſet. Multa enim in Hebraica lingua rectè cõgruunt, quæ ſi totidẽ uerbis in alia reddẽtur, ſolœciſmũ parient. Nã percutere in gladio, ſeruiuit Iacob in Rachel, aptè & cõuenienter Hebræis dicũtur, in Latino ſermone non idẽ reſonant. Eſt igitur Grãmatici docere, ut adiectiuũ nomen ſubſtantiuo iungat̃, ut duo ſubſtantiua iungantur, quã uaria ſignificatio ſit ſubiecti nominis ceu genitiui caſus, ut uas figuli pro uas figlinũ, uas fuſionis, pro fuſile, uir ſanguinis pro ſanguinarius, & alia id genus plurima. Docebit, ut ſubiectũ et attributũ ſeu prædicatũ iungi debeant, ut agens & patiens, ut nomẽ ſignificãs tempus, locum, cauſam, crimen, precium, modum, ſuo uerbo iungatur, ut duo uerba uel plu-

ra etiam construantur: ut indeclinabilia non modò uerbis, sed etiam nominibus, aut indeclinabilibus apponantur. Nam aduerbiũ negandi nominibus iunctum, explet nomen priuatiuum, אין קץ nõ finis, infinitum לא מדה immensum, אין חקר imperuestigabile, איש בלי דעת uir ignarus. Cuius loci est de figuris constructionis appositione, euocatione, syllepsi, prolepsi & aliis explicare. Nec nõ de cõprehensione sententiarũ per comma, & colon, & periodon. Nisi quis magis ad secundũ ordinẽ referenda putet. Secundo enim ordine reponuntur, quæ addendo, detrahendo, mutando, immutatione ordinis imparilitatẽ sermonis afferent, nisi ex instituto linguæ, & ratione fierent. Qualis est geminatio uerborũ mirè uaria, uiuẽdo uiuus, mactauit mactationem, fici bonę bonę, fecerũt aceruos aceruos, quatuor alæ uni erãt, quatuor alæ uni erant. Sunt defectus uocũ, ut relatiuũ subinde extrinsecus intelligitur, & in pronomine uerbũ substantiuũ. Huius loci erit auxesis, & meiosis, omnesq; figuræ dictionis. Tertio loco ponẽtur, quæ propositionũ uires atq; potestatẽ declarant, ut formulæ propositionis affirmatiuæ uniuersalis, aut particularis, negatiuę uniuersalis aut particularis, exclusiuę, exceptiuæ. ut indefinita utroque pacto intelligatur, ut negationes duæ pro una ponantur, ut propositiones iunctæ, disiunctæ, cõditionales,

les, ut cõparatiuæ aut ſuperlatiuæ pronuncien-tur. In quibus Dialecticorũ acumen ſeſe inten dit, & in alienam poſſeſſionẽ petulantius irru-it. Non alienũ ab hoc loco fuerit indicare ſchẽ-mata ſententiarum. Aliter enim Hebræus ora-tor proſopographiam tractabit, aliter Grçcus aut Latinus. Sunt hypotypoſes in ſcriptis He-bræorũ, ſed quæ nõnihil abludant ab alijs ſcri-ptoribus. Allegoria & cæteris tropis orationis frequentiſsime utitur ſermo Hebraicus. Vnde Hieronymus ſcribit orientalium ſermonem & maxime Syrorum atq; Hebræorum nihil prò-pè loqui, cui non adijciat parabolam. Hacte-nus ſummatim perſtrinxi grammatices partẽ, quç uerborum Etymologias aperit, & prçcepta orthographiç, proſodiç, declinationum, & con ſtructionis tradit.

DE COMMENTATIONE.

DE altera parte, quç autores enarrat ac ediſ-ſerit, breuius dicetur, & quatenus noſtro propoſito ſeruire uidebitur, ut appareat, quod nam grammaticorũ atq; commentariorum in ſacris ſcriptoribus maximè probemus. Tracta tio ſcripturarũ ſacris concionibus, & exemplis maximopere æmulãdis in eccleſijs Chriſti con dita, partim eſt popularis, partim ſcholaſtica. Ergo inter ſe non diſſident, ſed mutuo cohæ-rent, ut omnia chariſmata in uſum eccleſiæ di-uinitus collata. Popularis quidem tractatio po

pulo & ſacris cœtibus, aut quibuſdam è plebe docēdis deſtinata, conſiliū capit ex rerum præſentium ſtatu, & conditione hominum, ut ſine ordine ſcriptū aliquod diuinum enarretur, ſiue pars, ſiue quæſtio certa tractetur, ac ſententię & exempla Scripturæ accommodētur, ad euellendam ſuperſtitionē & uicia ſananda, ad inſerendam pietatē, fidem, charitatem Dei & proximi, ad excitandum atq; inflammandū ad officia, & actiones pietatis, tota oratio tēdat. Quomodo Prophetæ interpretati ſunt legem, & aptauerūt erudiendis præſentibus hominibus. Quomodo Seruator & Apoſtoli, tum legem, tum prophetas enucleauerunt. Quomodo'q; ſancti patres, & magiſtri atq; doctores eccleſiarum ueteris ac noui organi ſcripturas ad Eccleſiæ ſuæ optimam inſtitutionem accōmodauerunt, ut ſatis teſtātur homiliæ Origenis, Chryſoſtomi, Leonis, Gregorij, enarrationes Auguſtini, quibus Euangeliū Ioānis aut Pſalterium interpretatur, & Bernhardi ſermones de cantico Solomonis. De quo genere tractandi ſcripturas, quod in pia prudētiq; moderatione doctoris poſitū eſt, ut aptè cōcionetur, hoc unum in præſentia dicam, quòd feliciter adminiſtrari non poteſt, niſi ſcholaſtica inſtitutio theologū abſoluerit. Nam ſcholaſtica tractatio ſiue uniuerſos ſcriptores diuinos, ſiue partem aliquam ordine interpretetur, ſiue quæſtionē diſputando

do uerset, in hoc præcipuè incumbit, ut uera, & natiua, & certa sententia scripturarum liquidò perspiciatur. Ideoq; de scriptoris ętate, ingenio, eruditione, phrasi differit, & genus scripti, atq; argumentū indicat, necnon scopum, & totam dispositionem orationis. Deinde per singulas partes uerba interpretatur, & locutionum formulas aperit, uel glossemate in eadem lingua, uelut pro בראשית reponens בתחלה aut transponens in aliam linguam, iam κατὰ πόδας uerbum de uerbo exprimens, iam ἑρμηνείᾳ & legitima interpretatione nō tam uerba annumerans quàm appendens sententias, iam liberiori metaphrasi quædam addens, quædam detrahens, quædam mutās, ut locus & tempus postulare uidebantur, ac discipulorū profectus. Alia con trahit in epitomen, alia dilatat paraphrasi. Et confert aliorum interpretationes uarias. Quædam scholio & breui annotatione subiecisse cō tentus est scholasticus tractator, quædam pleniori commentatione prosequitur. Et ostendit quo artificio dialectices & rhetorices sermo cōtextus sit, hominumq; personas, & loca, & tem pora, & res gestas indicat, & de rerū naturis disputat, quatenus ad intelligendū authorē utile censuerit. Deniq; confert plures sententias con gerentes, ut clariores obscurioribus lucem afferant, ueramq; sententiam rationibus & authoritate non aspernabili munit, & uanas opinio-

nes

nes refellit. Eoq; patrum & ecclesiæ catholicas sententias grammaticus interpres adducit, interdum & gẽtilium, ut optimorum consensus in ueritatis dogmatibus cernatur. Contrà uerò falsas hæreticorum & sophistarũ cauillationes aperit, iugulatq; in loco, si quid est deprauatum, uel negligentia, uel temeritate, uel fraude hominum, idipsum integritati suæ restituet. Neq; tamen frigidam prorsus, & languidã esse interpretationẽ sinet, ac ministeriũ dormitantis, uel potius mortuæ literæ. Sed quantũ licet exemplo doctoris popularis interpretationem literariam ad fructum pietatis conuertet, & instillabit pietatem, reuerentiã numinis, amorem uirtutis, odium uitiorum, studium sanctè beateq; uiuendi. Et in summa, ut auditores nõ tantum literatiores, uerum etiã meliores, & ad res diuinas magis affectos dimittat, sedulò dabit operam. Quandoquidem Seneca etiam philosophos pulpitarios rectè grauiterq; uituperat, quorũ omnis philosophia erat in sermone, & non in uirtute, ut quisq; ex eorum disputationibus melior euaderet. Cæterum scholasticæ tractationes, quę inter Leuitas olim fuit frequẽtata, & post aduentũ Domini in ecclesijs bene institutis longo tempore, uelut Alexandriæ, Antiochiæ, Ephesi, Hierosolymis aliquandiu uiuentibus Apostolis, uestigia potius quàm integram formam cernimus hodie in horis canonicis.

nicis. Quibus per anniuersarias uices authenticus codex perlegitur, quibusdã partibus etiã interpretatione ueterum adiecta, quia nõ sunt uiri ecclesiastici, qui uelint aut posśint maiorũ exemplo scripturas interpretari. Absolutũ uerò scholasticæ interpretationis exemplum spectatur in cõmentarijs Hieronymi ad Prophetas, & Matthæũ, & Paulum. itemq́; in alijs ueterum & recentiorum scriptis, qui apostolicorum uirorũ uestigia secuti sunt. Ecclesiasticos interpretes ęmulati sunt ex Iudæis Dauid Kimhi, & Saadias, tamen ut remotiśsimos à regno Christi facile agnoscas. Alij longius etiã diuerterunt, & Salomon Gallus infercit Thalmudica, Aben Esra astrologica, Leui Ben Gersom peripatetica. Cæterum duæ rationes sunt interpretandi scriptores, quas ueteribus placuisse uideo. Quarum altera ordine scriptorem unum aut uniuersos etiam enarrat, quæ uiua uoce docenti est accommodatior. Altera res in diuinis scriptis comprehensas, & à diligenti atq; fido interprete explicandas in genere partitur, & unumquodq; argumentum separatim tractat. Quomodo Hieronymus scripsit de nominibus diuinis, de uestitu sacerdotali, de instrumẽtis musicis: Epiphanius de gemmis, quorum mentio est in scripturis: Philo & Iosephus de sacrificijs legis: Eusebius & alij plures Chronica: Philo de proprijs nominibus: idem Philo

& Eusebius de locis Hebraicis. Scripsit Clemens presbyter Alexandrinus octo libros στρωματείας, in quibus philosophiam & doctrinam Gentilium cum sacris dogmatibus contexuit. Eiusq; exemplo Origenes decē libros Stromateis scripsit, in quibus omnia nostræ religionis dogmata, Philosophorum dictis confirmat. Idemq; Origenes Hexapla composuit, in quibus Græcorum interpretationes & inter se, & cum Hebraica ueritate contulit. Sunt ex Veteribus, qui ἐκλογὰς, hoc est selectas sentētias è scripturis collegerūt ad quædam capita, ut de aliјs multis id genus taceā. Quæ ratio mihi uidetur ad explicandum pariter Linguam sanctā Hebræorū, & scripturis diuinis uniuersos aptissima: quæ poterit nouem partibus absolui. Ex quibus tres primas studiosis promisi, & præstiturus sum, si diuina clementia cōcesserit uitam & facultates, uideroq; me facturū operępreciū. Commentariorum igitur quibus tum lingua Hebræa, tum bibliorū diuini scriptores explicari possint non ingenti paginarū mole, & sine confusione, & ut omnia proprio in loco posita inquirenti se promptè offerant, prima pars institutiones grammaticas tradet duobus libris. Idq; exemplo Vrbani grammatici Græci, & Theodori Gazæ, ut prior summā grāmatices aperiat, Secundus omnia particulatim & exactissimè persequatur. Pars secunda Lexicon erit

rit, quod ordine literarum alphabeti Hebraici, omnes uoces Hebraicas & Syras è sententia optimorum scriptorū apud Hebræos & Latinos interpretabitur, singulisq́ꝫ speciebus Hebraismos adijciet, & quoties quoque loco dictionis per omnem codicem authenticum ponantur: necnon functionem literarū seruilium, & punctorum rationem in singulis uocibus compendio monstrabit, & codicum uarietatē aptè notabit. De cuius ratione ac usu plenius dicam, quando in lucē Domino permittēte emittam. Tertia pars demonstrationes grāmaticas exhibebit, primo in genere differens de præstantia linguæ Hebraicæ, de literis, de apicibus, & alijs id genus. Deinde ordine alphabetico singulas uoces quid propriè significent, quæ ipsa rei natura sit, quo tropo, quóue schemate lōgius extendantur, non obscura breuitate interpretabitur. Et quod asseritur, fulcietur rationibus & authoritate Hebræorum, Græcorum, Latinorum, Theologorum, Physicorum, Mathematicorum, Historicorū, Philologorum. Non dissimulabitur sic, si quis magnus author contrarium sentire uidebitur. Deinde structura sermonis Hebraici tota explanabitur. Postremò uoces Hebraicæ, tum simplices, tum complexę per genera describentur, ut propria in classe digerātur nomina substantiarum, quantitatum, qualitatum, actionum, relatiuorū & aliorum.

Idemq́ꝫ fiet in consignificatiuis. Qua distributione uocum nescio, quid melius possit excogitari, tum ut lingua Hebræa penitius inspiciatur, tum ut res Hebraicæ adeoq́ꝫ Theologicæ sub unum aspectum ponantur. Quarta pars propriorum nominum etymologias & totum usum monstrabit: nennon anthropologiam, & quæstiones super genealogijs non negligendas tractabit libris quatuor. In quo argumẽto ut sunt permulta ueteribus Theologis diligenter perpensa, ita etiã lapsus & errores multi notantur, ut in Philonis doctissimi & eloquentissimi Iudęorum etymologijs multa sunt uiolenter interpretata uel Hieronymo teste, ueluti ꝙ עשו Esau δρύινον quercetum interpretatur, aut roboreum, & עשים Essenos dictos opinatur quasi ὁσίους, id est sanctos. Ipseq́ꝫ Hieronymus in Commentarijs Osee aberrat longius dicens ארבל idem sonare quod ירבעל sed breuiori atqꝫ discretiori sermone. Et eodem loco שלמן eundem putat, qui in historia Iudicum dicitur בלמן. Iudæiq́ꝫ ibidem ירב partim loci nomen in Assyrijs, partim proprium regis nomen existimãt, quum tamen appellatiuũ sit uindicem atqꝫ ultorem significans. Quinta pars Græcorum interpretationẽ uulgatam ad optimos codices emendatã cum Hebraica ueritate componit: cum utrisqꝫ autem quantũ adhuc reliquiarum Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & aliorum

liorum colligi poteſt ex Græcis & Latinis ſcriptoribus. In quo argumēto rationem mihi uidere uideor, qua Græci codices ſint longè emaculatiores, & ſciolis minor facultas in poſterũ deprauãdi, & uſus hexaplorũ maxima ex parte reſtituatur. Sexta pars numeros, pōdera, mēſuras declarabit, quæ omnib. operibus ſuis adhibuit Dominus, & paſſim occurrũt in ſcripturis, magnaq́ cōtinēt myſteria, ut ſummis theologis placuiſſe uideo. Cæterũ ea res in diuinis ſcriptoribus nō minoribus difficultatibus implicita eſt, q̃ in Græcis & Latinis fuit, antequã ſæculo noſtro uiri præclarè de literis meriti ſua diligentia negociũ illuſtrarunt. Septima pars topographica & geographica expediet. Sine qua doctrina iners, & cæca, & tantũ non emortua eſt omnis hiſtoria. Et quũ ſint multa in hoc argumento literis mandata ueterum & neotericorum diligentia, non pauca tamen poſtulant diligentiorem explicationem, ut de paradiſo terreſtri, de urbis Ieth & templi topographia, de filiorũ Noë colonijs in orbem deductis, de Gog & Magog. Et non diſſimulandi errores hic deprehenduntur ſcriptorũ excellentium, ut quod Ioſephus Bethſan, quæ eſt ultra Iordanem, & Bethſemas, quæ eſt cis Iordanem in Iuda tradit eſſe Scythopolim. De Iudæis autẽ quid dicam, qui toto cœlo, & terra, & mari oberrant? Et ספרד aſſerunt eſſe Hiſpaniam, quum Iudæi

eruditiores Hieronymum docuerint Bosphorum significare. Octauus tomus uniuersam historiam diuinam nec non ecclesiasticam digeret additis etiam exterorum historijs, ut certior nobis constet temporum ratio. Cuius noticiæ tum ad Iudęos refellendos, tum ad alia innumera magnus est usus. Sunt autem & hic difficiles quæstiones, cæterum dignæ, quæ inquirantur, de hebdomadis Danielis, de temporibus antichristi, de die Domini. Cæterum doctissimi uiri aberrasse aliquoties uidentur, ut Eusebius creberrimè secutus LXX. interpretum editionem corruptam: non rarò Iosephus, & illi, qui eum secuti sunt. Tertullianus scribit Dominū tricesimo ætatis anno passum, Irenæus circiter quinquagesimo, idq; contra fidem Euangelicę historiæ. Quanquam hic asserat, eam esse traditionē ab Apostolis usq; propagatam. Argumentum etiam colligit ex illo, quod Iudæi dicunt aduersus Dominū, nondum habes annos quinquaginta, & Abrahamum uidisti? Nec aliunde natus est perniciosus error chiliastarū, qui magna ingenia, & sancta pectora implicuit, quàm ex tēporum ignoratione, quæ in Prophetis, in Apocalypsi, & alijs scripturis attinguntur. Videtur autem series temporum non inepte in duodecim libros Chronicorum posse partiri. Quorū sex ante aduentum Domini haberent insignes limites rerum gestarum, in quibus & typi Christi

sti, & ecclesiæ, & memorabilia exempla tam gratiæ quàm iræ Dei existunt, ut diluuiū est, in quo Noë cum suis in arca est seruatus pereunte uniuerso mundo: ut natalis Isaac, quando & Lot seruatus pereūte Sodoma, ut egressus uel ascensus ex Ægypto, quando Pharao & Ægyptus perijt, populus Israël duce Mose seruatus est: Ut regnum Dauidi traditum repudiato Saule, ut Cyri regnum, qui capta Babylone, populum Dei remisit domum, ut aduentus filij Dei in carne. Post aduentum Domini rursum libri sex distinguerentur insigni aliqua uicissitudine in ecclesia pariter et in politia, seu imperio Romano. Qualis est ducentesimus quinquagesimus annus à natali Domini, quartus Philippi primi Christiani principis, millesimus urbis Romæ, Olympiadis CCLVI. ultimus. Nonus & ultimus tractatus cōtinebit dogmata uera diuinorum eloquiorum cum placitis hominum comparata, ut uelut in συνόψει spectari posit omniū gentiū, omnibus ætatibus probata uel improbata philosophia, & de rebus quibusuis sententia. Quæ quidem partitiones theologicæ primo differerent de libris canonicis ecclesiasticis, apocryphis: De scriptorum ætate, ingenio, phrasi: De operum diuisione ac argumentis: Mox de typis, & sacramentis, deque figuratis locutionibus, de allegoria, anagoge, tropologia, sensu historico. Deinde in capita referret omnia, pro-

pinquitate rerum obseruata, diuina, ethica, phy
sica, &c. In singulis autem capitibus dogmata
breuissimo effato perstringentur, puta quòd
Deus unus, Deus æternus, trinus in personis,
& alia similiter, indicato loco scripturarũ. Ad-
dẽtur exempla, typi, allegoriæ, idq́ ex canonicis
libris ueteris & noui instrumenti, mox de eccle
siasticis: deinde ex theologis & philosophis gen
tilium consentientes sententiæ, indicatis etiam
ipsorum nominibus & libris. Ex opposito con
stituentur sophisticæ opiniones hæreticorum
& gentilium, indicatis authoribus & locis, ubi
omnia possint plenius cognosci. Et his quidem
nouem partibus terminari existimo theologicã
encyclopædiam, qua saltem mediocriter instru-
ctum esse oportet eum, qui uelit diuinos scripto
res feliciter interpretari, uel uiua uoce uel scripto
& linguam explicare Hebraicam, qua illi scri-
pserunt, aut ita Græcè, ut Hebræum idioma re-
sonent. Eosq́ demum commentarios Hebrai-
cæ linguæ plenos & absolutos iudicarem, qui
omnem scientiam diuinæ scripturæ cõiungunt
opportunè, adeoq́ subijcerent uelut reginæ. E
quibus theologię syncerę consecratus non sape
re uolet tanquam è magistris, sed illis uti pro mi
nistris & indicibus, qui discenti uiam monstra-
rent, & in refricanda memoria, si quid excidis-
set, admonerent, idq́ promptè & sine longa in-
quisitione. Res enim artesq́ omnes ordine ac
metho-

methodo certa è suis authoribus discendę sunt. Multum & diligenter legendum erit, orandum erit, pietas colenda erit, meditandum, scribendum, dicendum erit, ut noticia rerum percepta conuertatur in nostrum intellectum, qua uelut propria iam uti liceat, quoties usus postulauerit. Vtq; à Musis, quas mythologi fides interpretantur, nunquam Apollo abest: Ita conuenit nouem partibus, quibus scientia theologica definitur, supremam chordam adijcere, nempe charitatem, quæ ædificat. Qua ratione harmonica, perficietur nõ fabulosa Amphionis cithara, quæ lapides in muros Thebarũ traxisse memoratur, sed decachordum Dauidicum. Nam theologus, qui noticia rerum plurimarum expleuit animum, & sermonem ad ueritatis atque religionis explicationẽ composuit, uitamq; gerit doctrinæ sanæ congruam, & incitatur amore diuino, is Dei optimi maximi bonitatem, cęterasq; uirtutes, & opera laudibus summis celebrabit, & contra Palestinos eorumq; Goliath animos, & Saulinos spiritus compescet, hominesq; trahit ad spirituale ędificium domus Dei, quę est ecclesia Dei uiui, columna & firmamentũ ueritatis.

FINIS.

ERRATA IN HOC COMMENTARIO

propter exemplaris quo uſi ſumus difficultatem, ad plenum cauere non licuit, annotauimus quędã, cætera Lector æquus reſtituat ipſe.

Pagina 8. uerſu 15. lege in qua. 17.11. Lyddæus. 19.2. indicantur. 19.27. uel ex Græcorũ. 22.6. inſuperabilis difficultatis. 23.7. & inſtituta. 24.7. Indicis. 26.16. colligit. & 23. conformationem. 27.7. Illaq́. 29.27. חרג 30.17. iſtam. 31.2. apparent. & 14. Oſee. 33.22. concedendæ. 36.6. תמים 38.12. præclara. 40.5. Itaq; non aſſentio. 42.16. memorant. 43.11. adfertur. & 14. naturæ. 44.19. עירבים 45.15. ἀρχῖομῶς. 47.12. arbuſculã. & 27. didicerit. 48.10. promouerit. & 13. anilia. & 28. eruditio. 49.28. ריצאר שיריצאר 51.16. Sennaar. 52.3. diſcerent. 54.8. Græcorũ. 55.2. cum linguis. & 15. Videmus. 58.15. partem. 59.24. Vbi. & 28. colligo. 60.5. Antenore. & 11. Garmanni. & 12. Riphath. & 21. Sclauini. 61.16. adiecta loca. & 20. Iſsicus. & 22. Tarſi. 62.20. Cham, primum. & 28. diſcipulũ. 65.4. quaſi notitiam. & 11. Noticia huius idiomatis precio magno redimenda ſit. 67.3. eruditus. 68.10. ut poſt. & 16. intelliges. 70.21. admiſsi. & 23. uoluit? 73.16. haberent. & 29. haberent. 75.21. religioni. 76.11. aptè. 78.19. Eleazaro. 80.2. flãma. 81.29. quo. 83.7. קרתאגא 90.11. diſcrepent. 91.22. רׄ & 29. יָצָן & 93. ex litera ת dages punctum exterendum eſt in tabula. Et literæ maiuſculæ quæ repræſentant loca radicalium literarũ ſic aptandæ ſunt, ut ב collocetur ſub primo ſpacio uacuo inter ת & ת. ע ſub ſecundo uacuo ſpacio. ל ſub tertio. uerſu 5. ית uerſu 6. ברי uerſu 9. בית 95.12. תפ סת 96.7. םלס & 20. צפררע 115.18. hic. 118.22. דברים

BASILEAE PER HIERONYMVM CVRIONEM, MENSE AVGVSTO, ANNO M. D. XLII.